20

MICHAELIS ARCHANGELI

LVPOLI

ARCHIEPISCOPI COMPSANI

OPVSCVLA

PRIMAE AETATIS QVAE EXSTANT

Accedunt paucula post inde vulgata.



In antiq. gemma ap. Auctorem



NEAPOLI
Typis Sociorum MORELLI et DE BONIS
MDCCCXXIII.

EXCELLENTISSIMO MARCHIONI

DONATO THOMASIO

A SANCTIORIBVS SECRETIORIBVSQVE REGIS CONSILIIS

Franciscus Xaverius Lupoli.

Jamdiu est, quod me litterati homines obtundunt, ut Fratris lucubratiunculas errantes, quae prima aetate pro re nata conscripsit, ac identidem protulit, in unum collectas publici iuris facerem. Quod ego quum saepius, atque ad ravim usque ab eo expostulaverim, neque enim nisi ipso volente me facile votis amicorum hoc efflagitantium vinci passus essem, numquam non multa ac variae caussatus est, cui adquiescere oportuit.

Nimirum ex commentationibus, quibus plerique antiqui lapides illustrantur, alias informes, et adhuc adfectas in forulis se habere aiebat, quas eo modo nullatenus in lucem edendas ducebat; alias vero vel adumbratas, vel summis digitis tractatas, ut farragines potius, quam dissertationes dici mererentur, quibus ut formam qualemcumque tribueret, omnino per curas Episcopales, quibus unde unde obruebatur, non licebat. Atque etsi ad haec aliquid hiscere non ausus fuerim, ut tamen inter remorantem Fratrem, et amicos impellentes rem pactione aliqua veluti transigendo finirem, evincere id saltem enisus sum, ut speciminis ergo ex latinis rebus eas tantum exhibendi copia mihi fieret, quae obstetricante manu haud indigebant, siquidem prodierant iam antehac: ex dissertationibus vero illam dumtaxat, quam de die veterum natali ex antiquis lapidibus in suo in mutilam Corfiniensem inscriptionem Commentario iam pridem spoponderat. Atque haec sunt quae in praesenti proferenda in me recepi, daturus Deo propitio volumine altero epistolas, lapidum illustrationes, et quidquid huiusmodi cupediarum reliquum est.

Quum autem tam curta sit supellex, consilio mihi sat exquisito opus esse sensi, ne cui prima facie despicatui fortasse haberetur. Scilicet architectos, aediumque structores imitari e re censui, qui magnificis ac pulcherrimis vel Jonici, vel Corinthii operis columnis exornant fores, ut non introgredientium tantum, sed praetereuntium etiam oculos in se convertant. Atque ex hoc nosti iam, quare potius nomen tuum in ipsa operis fronte nitere gestierim; scilicet ut quando non suopte merito, a tui nominis inscriptione pretium operis staret. Porro percommode etiam mecum actum video, quod tibi praesertim nuncupanda huiusmodi opuscula proposuerim. Siquidem quum id in more positum sit, ut eius, cui quid inscribitur, laudes adtingantur, tu tale negotium omnino refugis, cui laudationum hoc genus maxime est invisum. Quod si in eo diffundi oportuisset, uti ceteri patiuntur, in arduam sane, periculosamque aleam me coniectum viderem. Quo enim pacto, quibusque verbis patefacere tantum quivissem ea omnia, quae te circumstant ornamenta: illam nempe egregiam animi tui indolem, tuum ad omnia promptissimum ingenium, tuam in impeditissimis

quibusque rebus expediundis celeritatem, sagacitatemque, tuam dexteritatem prudentiamque, nativa comitate et suavitate conditam? Sed etiam si mihi in dicendo facultatis multum datum esset, quantam dicerem tuam esse in laboribus perferendis constantiam, quum inter gravissimarum rerum molimina, ac tot numero et magnitudine maxima negotia tibi non tantum nec horam indulges, sed et fragmenta etiam temporis perexigui, quae deperirent, tibi non sine foenore transire pateris? Quibus et verbis, ut ad rem proximius accedam, aequare umquam possem tuum in demerendis exornandisque litteris studium, tuamque perexquisitam in litteratos homines benevolentiam adfectionemque? Sed quando in hac alea nihil conniti mihi tributum, profecto et hoc ipsum silentium meum, ne tibi tuaeque modestiae grave sit, volo. Unumque rogo tantum, ut quantulum est hoc munus pro tua humanitate aequi bonique ducas, ac foveas, tenue, ut iterum dicam, sed meae in te observantiae in omne tempus testem.

Dabam Neapoli XVI. Kal. Novembr. An. MDCCCXXIII.

Copia ec.

A S. E. Reverendiss. Monsignor Rosini, Presidente della Giunta di Pubblica Istruzione -- Eccellenza Reverendiss. -- Giovanni de Bonis, stampatore, dovendo pubblicar con le sue stampe un libro contenente varj *Opuscoli di Monsignor Lupoli Arcivescovo di Conza*, prega V. E. Reverendiss. assegnarli un Revisore -- Giovanni de Bonis.

Presidenza della Giunta per la Pubblica Istruzione -- A dì 2 Luglio 1823 -- Il Regio Revisore Signor D. Luigi Caterino avrà la compiacenza di rivedere gli Opuscoli soprascritti, e di osservare se vi sia cosa contro la Religione, ed i dritti della Sovranità -- Il Deputato per la revisione de' libri -- Canonico Francesco Rossi.

Eccellenza Reverendissima -- Ho letto con indicibil piacere gli Opuscoli di Monsignor Lupoli Arcivescovo di Conza, della revisione de' quali l' E. V. Reverendiss. si è compiaciuta incaricarmi; ed ho trovato che, lungi dall'esservi cose contrarie alla Religione, ed ai dritti della Sovranità, ridondano anzi di que' sentimenti di pietà, e di attaccamento al Trono, che i Vescovi debbono inculcare al Clero, ed al Popolo. Oltre a ciò, vi ho ammirato quella vasta erudizione, onde il detto Autore è già noto nella Letteraria Repubblica. Sono perciò di avviso che debba permettersene la stampa, quando diversamente non piaccia all' E. V. Reverendissima; e vi bacio rispettosamente le Sacre Mani -- Il Direttore della Reale Stamperia, e Regio Revisore -- Luigi Caterino.

Napoli 7 Febbrajo 1824 -- Presidenza della Giunta per la Pubblica Istruzione -- Vista la dimanda dello stampatore Giovanni de Bonis, con la quale chiede il permesso di dare alle stampe alcuni Opuscoli di Monsignor Lupoli Arcivescovo di Conza -- Visto il favorevole rapporto del Regio Revisore Signor Abate D. Luigi Caterino -- Si permette che gli Opuscoli indicati si stampino; però non si pubblichino senza un secondo permesso, che non si darà, se prima lo stesso Regio Revisore non avrà attestato di aver riconosciuta nel confronto uniforme la impressione all' originale approvato -- Il Consultore di Stato, Presidente -- Monsignor Rosini -- Il Consultore di Stato, Segretario generale, e Membro della Giunta -- Loreto Apruzzese.

SCHEDIASMA
DE DIE NATALI VETERUM (*)

CAPVT PRIMVM.

Natalis notio una eademque apud omnes. Mazochius primus hac de re litem instituit. Quae doctissimi hominis mens fuerit, et opinio. Omnino antiquitati adversa.

Etsi multa passim de Natali veterum clarissimi scriptores edixerint, nulla tamen ad nostram ferme aetatem de vera vocis notione in antiquis inscriptionibus agitata est quaestio: adeo nihil aequivocum Natalis voce contineri apud omnes constitit. Unus omnium autem, qui novam hac in re procuderit opinionem clarissimus Mazochius exstitit in Dissertatione de die Natali *Spicil. Bibl. t. II.* Nimirum tantillo Fleetwodiani lapidis, quem postremo explicabimus, argumento adductus, in eam omnino venit sententiam, Natalem in antiquis lit-

(*) Promiserat Auctor hoc de die Natali Schediasma in Commentario in mutilum veterem Corfiniensem Inscriptionem. Neapoli typis Raimundianis 1786. pag. 153. *Diei Natalis notio apud veteres latissime patuit, quandoquidem pro genuina nativitate, pro emortuali die, nedum pro quacumque anniversaria celebritate usurpata invenitur. Certe longiorem tractationem locus hic expostularet, sed nunc de singulis, ne ab ordinis proposita ratione discedam, breviter agam: plura quippe in hanc rem edisserui in singulari schediasmate, quod adhuc adfectum in forulis habeo, quodque, si Deus adridat, nitidiore ornatum facie brevi in lucem emittam.*

teratis marmoribus, maxime vero sub Caesaribus pro emortuali die accipiendum. Sic enim expressis verbis *loc. cit. pag.* 225. *Testes inscripti lapides erunt, in quibus aut legata in id quaedam heredibus relinquuntur, aut alioqui iisdem negotium datur, ut* NATALI *suo, diem emortualem non diem nativitatis intelligens, caena aut ludi celebrentur, aut aliqua summa viritim distribuatur. Ut apud Fleetwood p.* 109. 3. VT QVODANN . IN . PERPET . DIE . NATAL . QVADRATI . V . ID . APR . QVA . RELIQVIAE . EIVS . CONDITAE . SVNT . SACRIFICIVM . FACERENT cet. Et mox subdit. *Sub Caesaribus ita vox Natalis constanter pro anniversario die obitus accipi vulgo coepit, maxime in inscriptis marmoribus, ut ea rarissime pro nativitate sumeretur. Ac nisi equidem fallor, vix quarto quintoque saeculo Natalis pro natali genuino, sive nativitate interdum usurpabatur. Sic certe Aelius Lampridius, qui sub Constantino Magno vitas aliquot Caesarum scripsit, Natalis vocem usurpavit in Alexandro Severo Cap. V. his verbis: Eadem die natalem habet hic Mammaeae Alexander, qua ille Magnus excessit e vita cet.* Huc usque Mazochius. At quantum hac in re vir totius antiquitatis promus condus aberraverit, vix est ut credi possit. Ipsi enim inscripti lapides, qui aequissimi sunt huiusce controversiae iudices, certe obstrepunt, atque alia omnia inclamitant.

CAPUT II.

Vox Natalis perpetuo pro die nativitatis, numquam pro emortuali die in antiquis inscriptionibus, maxime sub Caesaribus, posita demonstratur adversus Mazochium. Monumenta producuntur, et illustrantur.

Atque ut a postremo ordiar, tantum abest ut sub Caesaribus Natalis vox in antiquis titulis pro emortuali die ponatur, ut non alia prorsus notio, quam genuinae nativitatis sit ei tribuenda. Quid porro magis absonum, quam ad quartum quintumque saeculum recurrere, ut primaria ac propria Natalis excavetur notio, quam a primis usque Caesaribus innumera prorsus monumenta absque ulla ambiguitate, ac veluti digito demonstrant? Adducenda huc in primis tabula ap. Grut. *pag.* ccxxviii. 8.

D E C R E T U M.

AEDICVLAM ET STATVAS HAS HOSTIAM DEDICATIONI VICTIMAE NATALI AVG. VIII. KAL. OCTOB. DVAEQUAE PP. IMMOLARI ADSVETAE SVNT AD ARAM QVAE NVMINI AVG. DEDICATA EST VIIII. CAL. OCT. IMMOLETVR ITEM NATALI TIBERI CAES. PERPET. ACTVRI DECVRIONES POLLICENTI GRATIAE AGANTVR MVNIFICENTIAE EIVS. EOQVE NATALI VT QVODANNIS VITVLVS IMMOLETVR ET NATALIB. AVGVSTI ET TIBERI CAESS. PRIVSQVAM AD VESCENDVM DECVRIONES EANT THVRE ET VINO GENI EORVM INVITENTVR ARAM NVMINI AVG. PEC. NOSTRA PONENDAM ET LVDOS

*

EX IDIB. AVG. DIEB. SEX FACIVNDOS CVRAVIMVS. NATALI AVGVSTAE MVLSVM ET CRVSTULA MULIERIB. VICANIS AD BONAM DEAM PEC. N. DEDIMVS. ITEM DEDICATIONE STATVARVM CAESARVM ET AVGVSTARVM MVLSVM ET CRVSTVLA PECVNIA NOSTRA DEVOTIS OMNIB. ET POPVLO DEDIMVS PERPETVOQVE EIVS DIE DEDICATIONIS DATVROS NOS TESTATI SVMVS. QVEM DIEM QVO FREQVENTIOR QVOTANNIS SIT SERVABIMVS VI. IDVS MARTIAS QVIA HAC TI. CAES. PONT. MAX. FELICISSIME CREATVS EST.

Quo lapide Natalem Augusti, VIIII. Kal. Octobres signatum, omnino pro genuina Augusti nativitate intelligas oportet. Nam ita Suetonius in *Vit. Aug. Natus est Augustus M. Tullio Cicerone et Antonio Coss. IX. kal. Octobres paullo ante solis exortum regione palatii ad capita bubula, ubi nunc sacrarium habet.* Accedit Dio *Lib. LIV. Natalem Augusti diem Iulius Antonii filius praetor, equestri certamine, et venatione celebravit: et ex senatusconsulto epulum Augusto, et Senatoribus in Capitolio dedit.* Quod vero in producto lapide biduum signatur VIII. nempe et IX. Kal. Octobres id nihil facessit negotii. Immo hinc iubemur non alio sensu quam nativitatis accipere quod Suetonius mox narrat *Cap. XXVII. Equites Romani Natalem eius sponte atque consensu biduo semper celebrarunt.* Quid quod huiusce rei locupletissimum testem habemus lapidem alterum ex Donio *Cl. IX. n.* 28. in quo sacrificium pro Natali Augusti biduo consignatur: ADFVIT M. SILA-

NVS IX. K. OCT. NATALE DIVI AVG. IN CAPITOLIO IMMOLAVIT L. VITELLIVS MAGISTER et infra : ADFVERVNT C. CAECINA LARGVS SILANVS STATILIVS . . . VIII. K. OCT. IN PALATIO L. VITELLIVS MAGISTER . . . IMMOLAVIT DIVO AVGVSTO BOVEM MAREM cet. Nec vero equestrem ordinem tantum, sed et Collegia quoque Augusti Natalem celebrare consuevisse aperte docet basis litterata Romae ex Grut. *p. CLXXV.* 4. COLLEGIO CENTENARIORVM cet. *L. Sextillus Seleucus Decurio D. D. Hoc amplios ark. rei. p. colleg. SS. donum dedit XV. ut ex usuris centesimis eius quantitatis quae efficit annuos* X. DC. DIE VIIII KAL. OCTOB. NATALI DIVI AVGVSTI *erogentur ex ark.* Nec praeterea Romae tantum, sed in municipiis et coloniis Augusti Natalem celebratum passim ab antiquis ediscimus inscriptionibus. Lapis extat Telesiae in Campania.

L. VILLIVS L. F. RVFVS
Q. AGRIVS C. F. CELER. PR.
III VIR
LANARIAS. ET QVAE IN IEIS
SVNT SVA PEQ. FECER
VT EX EO VECTIGALE QVOTANNIS
COLONIS MVLSVM ET CRVSTVM
NATALI CAESARIS AVGVSTI
DARETUR

Accedit arae Narbonensis tabula ex Grut. *p. CCXXIX.* quae eidem Augusto est dedicata T. Statilio Tauro, L. Cassio Longino Consulibus An. nempe V. C. DCCLXIV. *Votum susceptum a plebe Narbonensium in perpetuum cet. Plebs Narbonensium*

aram Narbone in foro posuit AD QVAM QVOTANNIS VIIII. K. OCTOBR. QVA DIE EVM SAECVLI FELICITAS ORBI TERRARVM RECTOREM EDIDIT *tres libertini hostias singulas immolent, et colonis et incolis ad supplicandum numini eius thus et vinum de suo ea die praestent.*

Venio nunc ad Tiberium, cuius Natalem ex Romano lapide supra produximus: ITEM NATALI TIBERI CAES. PERP. ACTVRI DECVRIONES cet. At vero de genuino illius Natali, non de emortuali die ibi agi Suetonii locus adprime monet *in Tib. Cap. XXVI. Natalem eius plebeis incurrentem Circensibus vix unius bigae adiectione honorari passus.* Qui enim mortuum reberis Tiberium, qui vix unius bigae adiectione passus est suum celebrari natalem?

Non minus insignis, ac peremptorius est eiusdem Suetonii locus alter de Caligulae Natali *C. XXVI. Consulibus oblitis de Natali suo edicere, abrogavit magistratum, fuitque per triduum sine summa potestate Respublica.* Quo loco id advertas in primis, quam solliciti Caesares fuerint, ut nativitatis festum quotannis celebraretur (1). Quam in rem et Dionis testimonium habes Lib. LIX. *Abro-*

(1) Atque eo Natali officia destinare Principes in more habebant, ut ex eo officia sumerent auspiicum, ex quo lucis exordium ipsi cepere. Hinc Honorius genuinum Natalem suum Proximatui inchoando adsignavit *L. XI. de Proxim. Tit.* 26. Pari modo Theodosius iunior suum adfectavit Natalem. *L. XVII. eod. Tit. et L. XXI. de Palatinis.* Constantius item praetorum designationibus Natalem suum praestituit *L. X. de Praet. et Quaest.* Nec non et Theodosius M. *L. VI. de Curiosis.*

gato Consulibus magistratu, quod ferias in suum Natalem non indixissent, quum praetores eo decursionem equestrem exhibuissent, et venationem, quod quotannis fiebat.

Neque vero nisi de genuina nativitate prorsus id accipiendum quod Iosephus narrat. *Antiq. Iudaic. Lib. VII. Cap. XX.* Titum nempe in fratris sui Natali duorum millium quingentorum spectaculum dedisse: *Ibi moratus* (nempe in Caesarea maritima) *fratris sui natalem diem clarissime celebrat, multam partem damnatorum, quique ignibus cremati sunt, et inter se digladiantes periere, duo millia quingentos excessit.* Ac non multo post de Natali Patris subdit. *Postea Caesar Berytum venit, et in hac quoque diutius demoratus est, maiori usus claritudine circa Natalem Patris diem, tam magnificentia spectaculorum, quam sumptibus aliis excogitatis.* Quid quod hac ipsa acceptione positus Natalis apud Sueton. *in Tito Cap. V. Cepitque Hierosolymam Natali filiae suae, tanto militum gaudio ac favore, ut in gratulatione imperatorem eum consalutaverint cet.*

De genuino item Traiani Natali Plinii locum intelliges *Lib. X. Ep.* 89. *Opto, Domine, et hunc Natalem, et plurimos alios annos quam felicissime agas, et fortis aliis super alia operibus augeas.* Quo autem adparatu Natalem suum Hadrianus celebraverit ex Spartiano accipimus in *Hadr. Cap. VII. Gladiatorium munus per sex dies con-*

tinuos exhibuit, *et mille feras natali suo edidit. Ludos circenses praeter natalicios decretos sibi respuit.* Vides nec ullam heic tergiversandi ansam patere (1). Quemadmodum nec dubitandum, ad nativitatem Antonini Pii pertinere quod Capitolinus inquit in Pio Cap. V. *Circenses Natali suo dicatos non respuit* (2). *De eiusdem Natali lapis apud Fabrettum p.* 724. *Vti* XIII. *k.* OCT. DIE FELICISSIMO *N.* ANTONINI *cet.*

Pari modo de Commodi genuina nativitate Xiphlilinus: *Natali suo die nobis*, *uxoribusque nostris liberisque singulis binos aureos*, *tamquam aliquas primitias imperavit : idque tributum pendere coegit ; itemque ex Senatoribus*, *qui in reliquis civitatibus erant*, *quinque denarios exegit.* Et Dio Cassius in Antonin. Caracal. *Antoninus antequam excederet ex Macedonia*, *ludos gladiatorios fecit suo Natali die : nam ne illo quidem abstinuit a caedibus* (3). Et Capitolinus de Natali Ge-

(1) Hadriani schedium de Natali suo ad Matrem quo ipsam, et sorores ad cenam invitat Vid. Casaubon. in *not. ad Spart. vit. Hadr.*

(2) De Natali Honorii Imp. Symmachus. Lib. IV. Ep. VIII. *De equis ob Natalem Domini nostri Honorii*, *et invictissimi Principis largiendis*, *licet hoc anno obsequii istius tempus effluxerit*, *opinor votum meum non potuisse reprehendi.*

(3) Natales sanguine polluere antiquitus nefas. Eius rei hanc Varro adfert rationem. *Lib. de Numer. Id moris institutique maiores nostri tenuerunt : ut cum die natali munus annale Genio solverent, manum a caede*, *ac sanguine abstinerent, ne die*, *qua ipsi lucem accepissent*, *aliis demerent.* Hinc Ovidius *III. Fast.*

Sanguine prima vacat : nec fas concurrere ferro.
Caussa, *quod est illa nata Minerva die.*

tae *in Maximin. Natali Getae filii minoris Severus militares dabat ludos, propositis praemiis argenteis, id est armillis, torquibus, et balteolis.*

Sed quis finis telae huic erit? Satius unum prae omnibus praestat in medium ponere auro non contra pretiosius monumentum, quod primus edidit clarissimus Bucherius *de Doctr. Tempor. p.* 276.

NATALES	CAESARVM
MENS. IANVARI	MENS. AVGVSTO
LVCI AELI CAESARIS IDIB. IAN.	DIVI PERTINACIS KAL. AVG.
DIVI GORDIANI XIII. K. FEB.	DN CONSTANTII VII. IDV. AVG.
DIVI ADRIANI IV. KAL. FEB.	DIVI PROBI XIV. KAL. SEP.
MENS. FEBRAR.	MENS SEPTEMB.
DIVI CONSTANTINI III. K. MART.	DIVI AVRELIANI V. IDV. SEP.
MENS. MARTIO	DIVI TRAIANI XIIII. KAL. OCT.
DIVI CONSTANTII PR. KAL. APR.	PII ANTONINI XIII. KAL. OCT.
MENS. APRIL.	DIVI AVGVSTI IX. KAL. OCT.
DIVI SEVERI III. IDV. APR.	MENS. OCTOB.
M. ANTONINI VI. KAL. MAII	DIVI ALEXANDRI KAL. OCT.
MENS. MAIO	MENS. NOVEMB.
DIVI CLAVDI VI. IDVS MAII.	DIVI NERVAE VI. IDV. NOV.
MENS. IVNIO	DIVI VESPASIANI XV. KAL. DEC.
MENS. IVLIO	MENS. DECEMB.
	DIVI VERI XVIII. KAL. IAN.
	DIVI TITI III. KAL. IAN.

Palilibus quoque, qui dies Romae Natalis erat, nullam hostiam caesam Plutarchus testatur in Romul. *Ab initio autem existimabant diem, patriae origine consacratum, purum, et sine sanguine servari oportere.* At quum Principum vesania eo demum processisset, ut gladiatorum etiam coedibus natalicia celebrarent, vel ut verius dicam, funestarent, Claudius Imperator piaculum prope id arbitratus, ut qua die sibi a diis vita data erat, eadem mortalibus aliis adimeretur, edixit (teste Dione) praetoribus gladiatorios ludos ne praeberent.

Sed manum de tabula. Dicet at quis, cui bono tam multa? nimirum tam multis necesse erat summi Viri auctoritatem submovere, atque id refigere, quod edixit: *vix quarto quintoque saeculo Natalis pro natali genuino sive nativitatis interdum usurpabatur*.

CAPUT II.

Legata, vel donationes in antiquis lapidibus ad id conceptis verbis signatae, ut Natalis celebretur, diem nativitatis, non mortis designare evincuntur adversus Mazochii opinionem.

Illud e vestigio scrutandum, an in inscriptis lapidibus, quibus aut legata heredibus relinquuntur, aut alioqui eisdem negotium datur, ut Natali suo cena, aut ludi celebrentur, aut aliqua summa viritim distribuatur, Natalis ibi pro emortuali die ponatur, uti Mazochio summo viro placuit. Sed unum certe, idemque apud omnes universim percrebuerat celebrandi Natalis studium, ac ut ita dicam relligio. Quam ob rem uti in Caesarum Natalibus is proprie dies, etiam quum vita cesserint, agebatur, quo quis in lucem editus erat, ut ex adlato paullo ante Kalendario luculentissime constat, ita privati etiam quo studio Natales suos vivi curabant, eodem prorsus, ac fortasse acriori cavebant, ut etiam ubi fato cesserint, quotannis instaurarentur.

Utinam vero praeclarissimo Mazochio non exciderit hac de re insigne prorsus Tullii testimo-

nium! Profecto vel eo uno ab sua recessisset opinione, nec legata heredibus ad Natalem celebrandum relicta, adverso adeo sensu ad emortualem diem spectare contendisset. Tullii at locus is est ex *Lib. II. de Finibus Cap. XXXI.* ubi Epicurum male philosophantem exagitat: *Quaero autem quid sit, quod tam accurate tamque diligenter caveat et sanciat: Amynomachus, et Timocrates, heredes sui de Hermachi sententia dent, quod satis sit ad diem agendum Natalem suum quotannis mense Gamelione.* En purum putum Epicuri legatum ad agendum Natalem post mortem. Quid vero? An Natalis hic pro emortuali intelligendus? Vetat notionem istam ipse Tullii scopus dicendi: ac tota eius cum Epicuro frustraretur concertatio. Sed vero nativitatis, non mortis diem ab Epicuro commonstratum, ipse e vestigio docet Tullius: *Quid? verene potest esse dies saepius, qui semel fuit? certe non potest. An eiusdem modi? Ne id quidem. At habetur. Et ego id scilicet nesciebam. Sed ut sit, etiamne post mortem coletur, idque testamento cavebit is, qui vobis quasi oraculum ediderit, nihil post mortem ad nos pertinere?* Sodes, haec nonne ad Nativitatis diem pertinent? Sed apertius adhuc, paucis interpositis, Philosophum compellat: *Quod si dies notandus fuit,* EVMNE POTIVS QVO NATVS, *an eum quo sapiens factus est. Non potuit, inquies, fieri sapiens,* NISI NATVS ESSET. *Et isto modo ne si avia*

quidem eius nata non esset. Demum ita concludit: *Nihil opus est litibus. Tantum dico, magis fuisse vestrum agere Epicuri diem Natalem, quam illius testamento cavere, ut ageretur* (1).

Sane quisquis haec paullisper adtendat, nonne litem omnem a Tullio iam iudicatam videt? Ergo caussa cecidisse Mazochium dicemus? Sed is ad inscriptos lapides adpellavit, quibus huiusmodi legata continentur. Discutiamus itaque et hos testes, videamusque an illius opinioni fulcimenti aliquid tribuant. Quid? Profecto haud aliunde manifestius, quam ex litteratis istis marmoribus patebit, Natalem pro die nativitatis constanti usu positum. Huiusmodi est lapis ap. Gruterum p. CCCXXII. 4.

CAPVT. EX. TESTAMENTO
CETRANIAE SEVERINAE
COLLEGIS. DENDROPHO
RORVM. FABRVM. CENTO
NARIORVM. MVNIC. SASSI
HS. SENA. MILIA. N. DARI
VOLO. FIDEIQUE VESTRAE COL
LEGIALI. COMMITTO. VTI
EX. REDITV HS. QVATERN. M.
N. OMNIBVS ANNIS PRID
IDVS. IVN. DIE NATALIS
MEI OLEVM SINGVLIS
VOBIS DIVIDATVR ET
EX REDITV HS BINVM
MILIVM N. MANES
MEOS. COLATIS. HOC. VT
ITA FACIATIS. FIDEI
VESTRAE. COMMITTO

(1) Natales genuinos, dies nempe quo quis natus est, etiam post mortem celebrare veteres consuevisse, non est cur amplius moneam. Menti subit quod de Silio Italico refert Plinius *Epist. III. Cap. VII. Virgilii ante omnes Natalem religiosius quam suum celebrabat, Neapoli maxime, ubi monumentum eius, ut templum adire solebat.* Silii adhuc inter vivos Natalis, is est quo natus erat, ergo idem et Virgilii. Quo et facit Seneca *Ep. LXIV. Quidni ego magnorum virorum imagines habeam, et Natalitia celebrem?*

Vides profecto lapidi inscripta ipsissima Cetraniae Severinae verba postremis tabulis consignata. Sed qui illa Natalem suum pridie idus Junias viva designasset, nisi diem, qua nata est intellexisset? Accedit quod duas summas collegio Dendrophororum legaverit Cetrania, alteram ut Natalis suus pridie Idus Iunias celebraretur, alteram qua Manibus suis inferiae darentur. Simile legatum habes in lapide ibid. *p. ccccii.* 1. *Demetrio L. F. Cam. Luxtro. Qui testamento suo ex HS . . . . in templum Suasae felici fieri iussit. Et in tutelam eius HS. XX. N. Reipublicae Suasaeor. Reliquit. Et* AMPLIVS LEGAVIT EIDEM. R. P. HS. CXXX. N. EX CVIVS REDDITV OMNIB. ANNIS DIE NATALIS SVI IIII. ID. cet. Et in Spoletino p. DLXXI. 1. HIC LEGAVIT TESTAMENTO MVNIC. HS. LXV . . . VT EX REDITV EIVS SVMMAE QVO DANNIS VIII. IDVS NOVEMB. NATALE SVO MVNICIP. EPVLVM ET CRVST. ET MVLSVM DARETVR. Quo facit pulcherrimum marmor Allifis in nostra Campania (1):

DEO . AETERNO
PRO RESTITVTA VALETVDINE EX VOTO
AEDICVLAM . T . ANTONIVS . FELICIANVS . D
ADDICIT . ET CONIVNCTVM FVNDVM TRI
NVM ET TRICENVM IVGERVM CVM OLE
TO PATET QVOQVO VERSVS . P . DLXXX . EX
ANNVO VECTIGALI HAERES DIE NATALI
EIVS III. KAL. SEPT. PERACTIS SACRIS DA
TO EPVLVM CAPVLATIS SACERDOTIB
AVG. CVM IIS ET SAMNIIS CAETERO PO
PVLO NOSTRO ALLIF. CRVSTA ET MVL
SVM EX. XXV. SI NEGLEXERIT. DOLOVE
MALO SVMPTVI PEPERCERIT FRVCTVS
ET MVNICIPIVM CAPVLATI SACERDOTES
FVNDI ADEVNTO

(1) Vid. Grut. *p. III.* 6. Reines. *p. CCLXIX.* Gudium *p. XI.* 7. De Vita *Antiq. Benev. p. VII.* Francis. Trutta *Antichità Allifane p.* 117.

Titulum habes, et votum, quod statim a recuperata salute Deo aeterno Felicianus iste posuit; et tamen Natalis designatur III. Kal. Septembres. Qui vero vivens is, immo de morbo emersus diem mortis suae in III. Kal. Sept. poterat edicere? Ergo de genuino natali res clamat omnino, quem Antonius iubet etiam post mortem heredem curare ex annuo vectigali fundi, atque oleti.

Sed non in postremis tabulis tantum, verum in donationibus etiam, quod magis est, designatum Natalis diem vides, quae quum stipulatae vivis ipsis fuerint, a quibus factae, nullatenus emortualem praeferre poterant diem. Et re vera inscriptionem, cuius gratia haec scribimus, quis non intelligit, vivo adhuc Mammio positam? Corfinienses illi tabulas patrocinales aheneas liberisque eius offerri censuerunt. Is at honore accepto statim splendidissimum Ordinem liberosque, et coniuges eorum, et populum publico epulo exhilaravit. Tam exquisitam patroni affectionem ut ordo populusque remuneraret, monumentum ex pecunia publica posuerunt. CVIVS OB DEDICATIONEM OBTVLIT DECVRIONIBVS ET VNIVERSO POPVLO † S. L. M. NVMMVM. QVAE MAMMIANA VOCENTVR EX CVIVS SVMMAE VSVRIS DIE NATALIS EIVS VII. IDVS FEBRAR. DIVISIONES PERCIPERE POSSINT (1). Quod si titulus vivo Mammio est po-

(1) DIVISIONES PERCIPERE POSSINT. *Dividere*, et *divisiones*, verba usitatissima sunt, ubi de pecunia pluribus tributa, qui vel ad epulum publicum, vel ad festum, aut sacrificium convenirent. Atque ita simpliciter Sportulae dictae, ac bellaria, quae dispensabantur. Hinc. L. 23. D. de ann. legat. *Cum quidem*, ait

situs, de quo nullatenus dubitandum, qui tu dices, vivo eo, ac praesente, mortis suae diem designatum VII. Idus Februarias? Apage. Lapidem habes Reate apud Grut. *p.* cccciv. quem heic exhibeam:

T. FVNDILIO. GEMINO VI. VIR. AVG. MAG.
IVV. AVGVSTALES. PATRONO. ET QVINQ. PER
PETVO. OPTIME. MERITO. HIC. ARCAE. AVGV
STALIVM. SE. VIVO. H—S. XX. DEDIT. VT. EX
REDITV. EIVS. SVMMAE. DIE. NATALI. SVO
IIII. K. FEBR. PRAESENTES. VESCERENTVR
ET. OB. DEDICATIONEM. STATVAE. DECVRIONI
BVS. ET. POPVLO. EPVLVM. ET. OLEVM EADEM
DIE. DEDIT.

Peremptorium prorsus quis non videt titulum? Donat Fundilius iste arcae Augustalium SE vivo sestertium viginti nummum, ut ex reditu eius summae die NATALI suo IIII. K. FEBR. praesentes vescerentur. Quid? tunc istum se vivo mortis diem in quarto Kalendas Februarias cognitum habuisse reberis? Sed est quod amplius dicam. Ipsemet enim EADEM DIE e IIII. Kalendas Februarias pro dedicatione statuae et sportulas iuvenibus Augustalibus et epulum populo dedit. Sed marmora hoc genus innumera prorsus ex antiqui-

Marcellus I. C. *decurionibus divisiones dari voluisset die Natalis sui, Divi Severus, et Antoninus* RESCRIPSERVNT cet. Et L. 122. D. de legat. 1. *Ad honorem*, inquit Paullus I. C. *Civitatis pertinet puta quod ad munus edendum, venationemve, ludos scenicos, ludos circenses, aut quod ad* DIVISIONEM *singulorum civium vel epulum relictum fuerit.* Id quod in litteratis lapidibus millies occurrit. Ita in marmore Petelino (hodie Strongoli) OB CVIVS STATVAE DEDICATIONEM DECVRIONIBVS AVGVSTALIBVS EPVLANTIBVS ET POPVLO VIRITIM DIVISIONEM DEDIT.

tate supersunt. Huiusmodi est lapis capite truncatus, qui ante hos paucos annos Romae est effossus (1):

EXCEPTA . STIPVLATIONE . VT
EX . VSVRIS . HS . . . QVODANNIS
IDIBVS . IVNIIS . NATALI . SVO . IN
CONVENTV . INTER PRAESENTES
HORA . II. VSQVE . AD . AS . DIVIDATVR
DEDVCTA . ORNATIONE . STATVAE
HS . C . N . QVOD . SI . ITA . FACTVM
NON . ERIT . TVNC . EA . S . L . M . N .
DARI . REIP . OSTIENS . SVB . EADEM
CONDICIONEM (sic) STIPVLATVS EST

Et Romae ap. Grut. *p. CCCLIV. Fl. Annaeo Lemonia. Fortunato. Piscat. Urinatori* cet. QVOD OB. HONOREM. PATROCINI. SIBI OBLATVM EIDEM CORPORI SS XII. N. DONAVERIT. VT EX. VSVRIS. EIVS DIE NATALIS SVI III. KAL. MAIAS SPORTVLAE VIRITIM DIVIDANTVR. cet. ET OB DEDICATIONEM EIVSDEM STATVAE PATRONIS ET QQ. R. P. SOLID. DIVISIT. cet. CORPORIS CVRAT. EX AERE COLLATO DIGNISSIMO POSVERVNT. Statuam cum inscripta basi heic habes Annaeo Fortunato positam adhuc vivo. Habes id insuper, quod is ob acceptum patrocinii honorem statim donaverit corpori piscatorum urinatorum sestertiorum XII. nummos. Habes demum et diem natalem suum eidem inscriptum basi in III. Kal. Maias. Quidni igitur natalis heic pro genuina positus nativitate? Ibid. lapis aevi Antoniniani *p. CCCXCI. Ti. Clau-*

(1) Adeas Ephemer. litter. Florent. *ann.* 1790. *p.* 599, in quibus primo editus est.

dio. Exquil. Severo. decurioni. lictori. patrono corporis. piscatorum. et urinator. cet. HOC AMPLIVS EIDEM CORPORI DONAVERIT HS. X. MILLIA. N. VT EX VSVRIS EORVM QVODANNIS NATALI SVO XVII. KAL. FEBR. SPORTVLAE VIRITIM DIVIDANTVR PRAESERTIM CVM NAVIGATIO SCAPHARVM DILIGENTIA EIVS ADQVISITA ET CONFIRMATA SIT. Et Tolentini ap. Murator. *p.* DXX. 6.

EX . S . C
SCHOLA . AVG . COLLEGI . FABROR
TIGNVAR . IMPENDIIS . IPSORVM . AB
INCHOATO . EXSTRVCTA . SOLO . DATO . AB . T . FV
RIO . PRIMOGENIO . QVI. ET . DEDIC . EIVS. HS . X . N . DED
EX.CVIVS.SVMM.REDIT.OMNIB.ANNIS.XII.K.AVGVST
DIE . NATALIS . SVI . EPVLENTVR

Pari modo Ameriae ad frontem turris marmor ex Grut. *p.* MLXXXVIII. 4.

IVLIAE M . FELICITATI
VXORI
C . CVRIATI . EVTYCHETIS
III . VIR . MAGISTRAE . FORTVN (sic)
NAE . MEL . COL . CENTONARIOR
OB MERITA EIVS QVO HONORE
CONTENTA SVMPTVM OMNEM
REMISIT . ET OB DEDIC . DED . SIN
GVLIS II -- S . XX . N . ET HOC AMPLIVS
ARCAE EORVM INTVL . II -- S. V. M. N
VT DIE NATALIS SVI V . ID . MAI
EX VSVRIS . EIVS SVMMAE . EPVLAM (sic)
TES IMPERPETVVM DIVIDER
QVOD . SI . DIVISIO . DIE . S . S
CELEBRATA NON
FVERIT . TVNC . PERTINEBIT
OMNIS . SVMMA . AD
FAMILIAM . PVBLICAM

Quod si diem natalem hic pro emortuali accipias, qui stabit *το* statuae *honore contenta sumptum remisit?* Qui stabit, quod ob acceptum statuae honorem ea facta elargitio pro die natali in V. Id. Maii in perpetuum colendo? Qui demum stabit et dies mortis cognitus, et basis quae ab imo ad summum omnino feminam acceptantem, elargientem, caventem (vivam ideo) insinuat? Et Arimini ibid. *p. MXCIIII.* 2. *C. Faesellio Rufioni* cet. QVOD SINGVLIS VICIS MVNIFICENTIA SVA S. S. XX. N. AD EMPTIONEM POSSESSIONIS CVIVS DE REDITV DIE *NATALIS SVI SPORTVLAR. DIVISIO SEMPER CELEBRARETVR LARGITVS SIT.* Et Ferentini ex eod. *p. CCCCLXI.* 1. *A. Quinctilio. A. F. Pal. Prisco* cet. *cuius ob eximiam munificent. quam in munic. suos contulit statuam publice ponend. in foro* VBI IPSE VELLET *censuere* cet. HIC. EX. S. C. FVNDOS CEPONIAN. ET. ROIANVM. ET. MAMIAN. ET. PRATVM. EX OSCO. AB. R. P. REDEM. HS. LXX. M. N. ET . . . R. P. REDDID. EX. QVORVM. REDITV. DE. HS. IV. M.CC. QVODANNIS. VI. ID. MAI. DIE. NATALI. SVO. PERPET. DARETVR. PRAESENT. MVNICIPIB. ET. INCOL. ET. MVLIERIB. NVPTIS CRVSTVL. P. I. MVLSI HEMIN. ET CIRCA TRICLIN. DECVRIONIB. MVLSVM. ET CRVST. ET SPORTVL. cet. quo loco Quinctilii Natalem VI. idus Maias vel coecus videt ad genuinum Natalem pertinere. Cui enim VBI IPSE VELLET nisi vivo statuam senatus posuit? Et Beneventi *M. Nascellius Sabinus. et Nascel-*

lus Vitalis IN PERPETVVM. VI. ID. IVN. NATALI SABINI. EPVLANTIBVS. PAGANIS. ANNVOS. X. CCXXV. DARI. IVSSERVNT. EA. CONDITIONE. VT. NON. IVN. PAGVM. LVSTRENT. ET. SEQVENTIBVS. DIEBVS. EX. CONSVETVDINE SVA. CENENT. ITEM. VI. ID. IVN. DIE. NATALI. SABINI. EPVLENTVR. Item ap. Mur. p. DXVII. 6. VALERIAE VRSAE QVAE VIXIT MECVM ANNOS XXX. MENS III. D. VIII. QVAE COLLEG. FABR. AGELLVM AESIANVM SVVM MANCIPAVIT SE VIVA EX DIMID PORTVS VASISTA VT EX REDITV EIVSDEM AGELLI Q. ASILIO CONIVGI SVO IDEST IX. . . . . DIE NATALIS SVI SING. ANNIS PER MAGISTR. CELEBRENTVR. Quod ipsum adhuc manifestissimum fit ex Trebulano lapide apud Fabrettium cap. x. n. 210.

AVRELIAE CRE
SCENTIAE . HONESTISSIME (sic)
ET . PVDICISSIMAE . FOEMINAE . PATRO
CONIVGI . AVRELI . FELICISSIMI . PROC
E . V . PATRONI . MVNICIPII . TREBVLANI
MVT . OB . MERITA . ET . BENEFICIA . SAEPE
IN . SE . CONLATA . STATVAM PONENDAM
EIDEM TRICLINARES DECREVE
RVNT
DEDICATA . NATALI . DIE . XVI . KAL . FEB.
ARRIANO . ET PAPO COS
L . D . D . D

Ubi τὸ dedicata Natali die nullum prorsus relinquit effugium quominus non de nativitatis die accipiatur lapis. Sed quid amplius ego corrogandis immoror monumentis. Alteram non amplius ad-

*

dam donationem sepulcrali titulo inscriptam, qui nuper Romae effossus prostat in aedibus Ducis Braschii:

D . M . S
M . VLPIVS . AVGG . LIB . GRANIA
NVS ET CASPERIA RVFINA FECE
RVNT SIBI LIBERTIS LIBERTABVS
QVE QVI VIXER . INTER SE ANN
XX. SINE VLLA (sic) VILE HOC AMPLIVS NV
MERAVERVNT ARKAE SEVIR AVCVSTALIV
SS. (X) (X) M . N . VT DIEBVS NATALIS IDIB
IVNIS RVFINES VIRI V . ET MVLIERES EORVM

ET GRANIANI KAL . IVL . EADEM . NATALI AD
EXEMPLVM SEMNE

Atque ex his omnibus titulis, quos plena manu effudimus, pronum est cuivis intelligere, tum omnem emortualis diei suspicionem excludi, tum constans in primis veterum studium in eum diem, quo quis est in lucem editus, cuius memoria ut etiam post mortem coleretur, vel ex testamento, vel donationibus inter vivos cavebant. Nec profecto sensu alio, quam quem ipsi sibi adducti lapides tribuunt, legata ad filiorum celebrandos natales relicta accipies. Talis est inscriptio in ruinis Rudiarum reperta, quam integre dabo (1):

(1) Inscriptionis exemplar accepi ab amicissimo Francisco Danielio. Lapis, dum haec scribo, extat in Pago Monteronis.

TVCCIO . M . F . FAB . CER . . .
ORNATO . EQ . PVB . A . SACRATISSIMO
PRINCIPE . HADRIANO . AVG
PATRONO MVNICIPI . IIII . VIR
AED . ITEM . AEDILI . BRVNDISI
M . TVCCIVS . AVÇAZO
OPTIMO . AC . PIISSIMO . FILIO . OB . CVIVS
MEMORIAM . PROMISIT . MVNICIPIBVS . RVDIN
(sic)
HS . LXXX . N . VT . EX . REDDITV . EORVM . DIE . NATALIS
FILI . SVI . OMNIBVS . ANNIS . VISCERATIONIS
NOMINE . DIVIDATVR . DECVR . SING . HS . XX . N
AVGVSTALIBVS . HS . XII . N . MERCVRIALIB . HS . X . N
ITEM POPVLO VIRITIM HS . VII . N
L . D . D . D (1)

(1) *In superiorem Inscriptionem pauca adsperguntur.*

Mvnicipibvs Rvdin. i. e. municipibus Rudinensibus] Rudiae urbs Lupiis finitima inter Tarentum, et Brundusium, quam Ποδιαν Ptolemaeus, Hermolaus vero Byzantius Ρωδαι, Strabo, Ροδαιες adpellat, Enniique patriam fuisse tradit. De Ennio Silius Lib. xii. v. 397.

Miserunt Calabri, Rudiae genuere vetustae,
Nunc Rudiae solo memorabile nomen alumno.

Cives passim *Rudini* audiunt. Hinc Ennius ipse Romana donatus civitate inquit:

Nos sumu' Romanei, qui fuimus ente Rudin.

Et Ausonius:

Vnde Rudinus ait, Divvom domus altisonum cael.

Viscerationis nomine] Nonnulla de visceratione superius adtigi Cap. xiv. quae videas. Addam hic quae ibi exciderunt. Haud ego adduci umquam in id possum ut cl. Gherardo Vossio adsentiar; arbitranti viscerationis nomine nonnisi epulum designari. Coniecerat id vir summus ex Virgilii loco *Aeneid.* viii.

Tum lecti iuvenes certatim, atque Sacerdos
Viscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris
Dona laboratae Cereris, Bacchumque ministrant.
Vescitur Aeneas, simul et Troiana inventus
Perpetui tergo bovis, et lustralibus extis.

Sed fortasse exciderat litterato homini Tullii locus *Lib. ii. Offic. Prodigi sunt homines, qui epulis, et viscerationibus, et gladiatorum muneribus, ludorum, venationumque adparatu pecunias profundunt, in eas*

Pari modo Romae ap. Grut. *p. CLXXIX.* 3. *C. Torasius C. F. Hor. Severus IIII. Vir. I. D.* cet. IDEM AD CELEBRANDVM NATALEM FILII SVI IN PVBL. DEDIT HS. CCL. EX QVORVM REDITV III. K. SEPT. OMNIBVS ANNVIS ... *res*, *quarum memoriam*, *aut nullam relicturi sunt omnino*: quo loco epulas expresse habes ab visceratione separatas. Quid quod et Suetonii accedit auctoritas *in Iul. Cap. XXXVIII. Populo praeter frumenti denos modios*, *ac totidem olei libras*, *trecenos quoque numos*, *quos pollicitus olim erat*, *viritim divisit. Adiecit EPVLVM et VISCERATIONEM*; *et post Hispaniensem victoriam prandia duo*; quo adversus Vossium solide nostrum firmatur iudicium. Addam hoc amplius quod adversa omnia habet vetus lapis Vrbinus C. Mesii Zosimi apud Muratorium p. CCVI. 3. DECVRIONIBVS HS XII. PLEBEIS EPVLAS DEDIT ET VISCERATIONEM; cui consonus est titulus alter ex Gorio Tom. I. p. XXXIV. ubi: *C. Volcius Quietus ob arae dedicationem VISCERATIONEM ET EPVLAS* dedit. Porro *viscerationes* in feriis Latinis primum institutas, adparet ex tabula marmorea, Coss. L. Aemilio Paulo II. C. Licinio Crasso, i. e. an. Vrb C. DLXXXV. apud Reinesium Clas. IV. n. 5. PRID. KAL. APRILEIS. FASCES. PENES. LICINIVM. (LATINAE. CELEBRATAE. ET. SACRIFICATVM.). IN MONTE. ALBANO. ET. DATA. VISCERATIO. mox etiam ad honorem mortuorum translatas exemplo est illud Livii *lib. VIII. 22. Populo visceratio data a M. Flavio in funere matris.* Et iterum *Lib. XXXIX. 46. P. Licinii funeris caussa visceratio data.*

MERCVRIALIB.] ita Mercatores a Mercurio, quem colebant, Horum Collegium Tullius memorat *Lib. II. ad Q. Fratr. Ep. V. Non praetermittam*, *ne illud quidem*, *M. Furium Flaccum equitem Romanum*, *hominem nequam*, *Capitolini*, *et MERCVRIALES de Collegio eiecerunt*, *praesentem*, *ad pedes uniuscuiusque iacentem.* Porro Mercurialium Collegium ut Romae, ita et in Provinciis Romanis obtinebat, quemadmodum ex antiquis saxis edocemur, in quibus passim Collegia negotiatorum, vel mercatorum occurrunt, et expresse Mercurialium in nostro. Porro Mercuriales et Sacerdotes erant Mercurii. Sic vetus marmor apud Murator. p. CXC. 3. L. AVIDIVS. L. PHILOGENES MERC. ET AVG. idest Sacerdos Mercurialis et Augustalis. Hinc et Magister Mercurialium in veteri Calatino lapide apud Capuam in Museo Veronensi p. CCCLIV. 3. M. OFILIVS. M. C. L. TERTIVS. MAG. MERC. VIVS. SIBI. SVEIS. ET. QVARTAE. L.

NIS DECVRIONES IN PVBLICO CENARENT ET MVNICIPES PRAESENTES ACCIPERENT AERIS OCTONOS. Et in Pisaurensi ap. Murat. *p. MCXI. C. Titio C. F. Cam. Valentino* cet. QVI TESTAMENTO COLONIS COLONIAE IVL. FELIC. PISAVR. DECIES CENTENA MILLIA NVM. DEDIT ITA VT PER SING. ANNOS EX SESTERT. MCCCC. VSVRIS POPVLO EPVLVM DIE NATALI TITI MAXIMI FILII EIVS DIVIDERENTVR cet. Atque his bina addam praeclarissima monumenta Gabiis nuper reperta (1), quae doctissimus, atque amicissimus Ennius Quirinus Visconte edidit (2). *A. Plutius Epaphroditus* cet. HS. X. M. N. REIPVB. GABINOR. INTVLIT. ITA VT EX VSVRIS EIVSDEM SVMMAE QVODANNIS IIII. K. OCTOBR. DIE NATALIS PLVTIAE VERAE FILIAE SVAE DECVR. ET VI. VIR. AVG. PVBLICE IN TRICLINIS SVIS EPVLENTVR. Pertinet alterum ad Domitiae Corbulonis filiae honorem, quo Cn. Domitius Polycarpus petit, ut STIPVLATIONE INTERPOSITA DESIDERIO SVO TALIS CONDICIO DECERNERETVR VT EX REDITV EIVS PECVNIAE III. IDVS FEBR. NATALE DOMITIAE PRAESENTIBVS DECVRION. ET SEVIR. DISCVMBENTIBVS IN PVBLICO AEQVIS PORTIONIBVS FIERET DIVISIO. Acceditque de ea re placitum: *Placere universis secundum relationem supra scriptam pecuniam accipi*, *praestarique* ***in*** (sic) *pertuum* VT CELEBRETVR NATALIS DIES, AC MEMORIA *Domitiae Corbulonis fil.*

(1) Vid. Antholog. *an.* 1792.
(2) Monum. Gabin. *tom. III. Rom. an.* 1797.

CAPUT III.

Natalis ab emortuali die expresse distinctus in veterum titulis. Legata pro parentalibus omnino diversa. Nativitatis dies post mortem impensissime celebratus. Caligulae decretum producitur, quo lis omnis peremptorie terminatur.

Haec ad fastidium usque adnotasse haud piget, ut longe quantum a vero distet Mazochii hac de re opinio quisquis animadvertat. Adhuc vero, ut res extra omnem prorsus dubitationis aleam ponatur, non praeteream veteres ipsos Natalitiam festivitatem ab emortuali expresse secrevisse in titulis. Lapis Romae ex Grutero *p. DCCLIII. 4. Albiniae Vetti fil. Valerianae P. Appius P. F. Eutyches. Ad cujus memoriam colendam huic Colleg. Dendroph. leg. HS. C. N: cuius summae reditu.* QVODANNIS. DIE. NATAL. EIVSDEM. III. ID. APRIL. DECVR. SPORTVL. EX. X. CCC. INTER. PRAESENT. ARBITR. SVO. DIVID. OLEVM. ET. PROPINATION. EX. X. DCCL. PRAEBEANT. ITEM. LECTISTERNIVM. TEMPORE. PARENTALIOR. Diversa igitur sunt parentalia anniversaria ab anniversaria Natalis celebratione. Nec vero id quaeram, an die Natalis (i. e. quo quis natus est) ubi de eo agitur, qui iam vita sit functus, ad sepulcrum vel cenatum, vel sacrificatum. Neminem enim ignorare arbitror, vivorum domi celebratos

Natales, mortuorum vero ad sepulcra ut plurimum, quae *domus* item, et *Domus aeterna* passim audiunt in antiquis cippis. Nam eo vertitur quaestio, utrum, NATALIS designatione, diem nativitatis, an mortis diem celebratum voluerint veteres post suam mortem. Atque quaestionem istam etiam ex hoc capite marmora mihi resecare videntur; siquidem ubi de emortuali die, vel de inferiis res est, ipsa per se rem, locutionibus constanter ac omnino diversis, ostendunt. Ita lapis ap. Gruter. *p. DXLVII.* 8. *L. Iulio secundo Vtriclario Cor. C. I. P. A. qui* LEGAVIT EIS TESTAMENTO SVO X CC. VT VSVR. EOR. OMNIBVS ANNIS SACRIFICIO EI PARENTETVR. Et Mevaniae item ex Murator. *p. DXII.* 3. C. Attius. C. L. *Ianuarius. Hic Collegio suo centonariorum legavit HS.* ∞. EX CVIVS REDITV QVOTANNIS DIE PARENTALI V∞ *ne minus homines XII. ad rogum suum vescerentur.* Et Romae ap. eumd. *p. DXV.* 5. *Tutichylas hic positus* cet. *qui reliquit Collegio s. s. HS. decem Mil. N.* VT EX VSVRIS EIVS OMNIBVS ANNIS PARENT. EI HOC LOCO. Item in agro Brixiano ap. Fabrettum *Cap. III. n.* 182. *Clodiae Achillae* cet. *L. Vettius Vrsinianus maritus uxori incomparabili qui dedit Coll. VI. Vir. socior. HS. N.* ∞ VT EX VSVRIS EORVM PROFVS . . . . PARENTALES QVOTANNIS FIANT. Et Veronae ap. Maffeium *Mus. Ver. p. CXLVII.* 1. *Dedit Coll. Naut. Arilic. HS. XII. N.* VT. EX. EIVS. SVM. REDITV. ROSAL. ET. PARENT . . *Iusto F. Iustae uxori.* et *sibi omni an. in perpetuum procur.*

Quid quod uti epula, cenae, sportulae, crustum, mulsum ad Natalem quotannis celebrandum legata in lapidibus ut plurimum offendimus; ita ex adverso ubi de re emortuali res est, constanti ferme usu ad id pecuniae summa legatur, ut rosas ad monumentum deferant, vel rosis arcam exornent, et si sportulas, cenas, vel quid aliud dividendum voluerint, numquam non cum rosis et floribus iunctum vides, quemadmodum et aliquando factitatum in nativitatis etiam diei recursu post mortem (1). Lapis ap. Grut. *p. CCCCLX.* 3. *Hic Coll. Fabr. M. R. HS. XXX. N. dedit ex quorum reditu* QVOTANNIS ARCAM ROSIS EXORNENT. Et *p. CCXXVII.* 5. *Colleg. Fabr. M. R. H. S.* 8. *N. donavit sub hac conditione, ut* QVOTANNIS ROSAS AD MONVMENTVM EIVS DEFERANT. Et *p. DCCLIII.* 4. *Cuius summae reditu* QVODANNIS OLEVM ET PROPIN. PER ROSAM PRAEBEANT. Et p. DCCXLIV. 1. *Dedit* HS. CCCC. AD ROSAS ET ESCAS DVCENDAS EI OMNIBVS ANNIS. Et ap. Maf. *Mus. Ver. p. CXLVII.* 1. VT EX REDITV EIVS QVODANNIS ROSAE EIS DEDVCANTVR. Et ap Murat. *p. DCCCLXVII.* 8. *HS. N. DCCC. dedit cujus summae Reditu* ROSAM ET MINVS EX HS. N. XVI. POSVISSE VELINT. Sed quis huic telae finis? Unum addam, quod colophonem omnibus ponit, Romanum marmor in Villa Pelluchiana, hisce verbis: VT EX RE-

(1) Ita lapis ap. Grut. p. DCXXXIV. *Curatores substituam qui vescantur ex horum hortorum reditu Natali meo et praebeant rosam in perpetuum.* Vid. Fabr. Cap. II. p. 87.

DITV EIVS INSVLAE QVODANNIS DIE NATALIS SVI ET ROSATIONIS ET VIOLAE ET PARENTALIB. MEMORIAM SVI SACRIFICIIS QVATER IN ANNVM FACTIS CELEBRENT. Quo uno vindice marmore vides Natalem omnino pro nativitatis die positum. Praecipitur enim, ut quater singulis annis sacrificia agantur ad sui memoriam colendam; primum nempe vertente die nativitatis suae; alterum vero die rosationis, qui XI. Maii dies est, priscis propterea dictus *dies rosae*; tertium die violae (1), qui est XXII. Martii (VIOLARIS ideo dictus in marmore ap. Fabretum *Cap. x. n.* 443); postremum vero die parentalium.

Vides igitur ex his omnibus luce clarius patere, legata a legatis discrepare, diem natalem ab emortuali, parentalia a nataliciis, ac nonnisi verum nativitatis diem consuevisse veteres etiam post mortem curare, pecuniamque ad id relinquere. Coronidis ergo, ut controversiae finis imponatur duo adponere praestat, alterum quo quidam in mutilo titulo ap. Murat. *p. MCXVIII.* 1. natalem suum, se vivo tantum celebrari iubet: alterum, quo non in vita tantum, sed etiam post mortem prosequi is dies iubetur. Primum huiusmodi est: . . . . . CELEBRETIS. PROPTER. QVOD OMNIBVS. ANNIS. QVOAD. VIXERO. DIVIDAM. MVNICIPIO. N. SIARIENSI. DVMTAXAT. PRAESENTIBVS. DECVRIONIBVS. SINGVLIS. X. TER-

(1) Utrumque legatum habes in marm. ap. Mur. p. DXX. 2. quo relicta summa MILLE HS. COLLEGIO FABR. LAVD. IN VTRVMQVE FLOREM PERPETVO SIBI DEDVCEND.

NOS. SEVIRALIBVS. X. BINOS. PLEVI. VTRIVSQVE. SEXVS. ET. INCOLIS. X. SINGVLOS QVOT. PRAESTABO. DVMTAXAT QVOAT. VIXERO. Alterum est Caligulae decretum ex Dione Cassio : *Caligula Drusillae natalicia celebrat : effigiem eius elephantis in theatrum invexit : equestria certamina, feras, epulum populo, Senatoribus, et eorum uxoribus donum dedit : atque ut haec post mortem eius quotannis fierent decrevit.* DECRETVM POST MORTEM VT NATALI EIVS *ludi Megalensium similes fierent, epulumque et senatui et equitibus daretur.* Quo demum expressissimo testimonio iam extra omnem dubitationis aleam positum habes, diem Natalem post mortem non pro mortis die, sed pro die nativitatis accipiendum.

CAPVT IV.

P. Petreii Quadrati inscriptio producitur, et explicatur. Veterum sedulitas in quibusdam singularibus exprimendis. Plures veterum ex inscriptionibus recensentur, qui die Natali mortem obierint.

Demum vero ad ipsum convellendum fundamentum accedo, cui vir clarissimus totam paene rationum molem superstruxit. Nimirum Fleetwodianus lapis est interpretandus, qui offendiculo fuit homini summo, ut Natalis vocem pro die emortuali constanter in litteratis antiquorum cippis usur-

patam sibi, et aliis suaderet. Inscriptio haec est, quam primus edidit Sponius *Misc. Er. Ant. Sect. II. art. XI. p.* 62. hinc vero Fleetwodus Syll. *Inscr. p.* 189. 3. postremus omnium Muratorius p. MCXCIX. 6.

P . PETREIO . P . F . Q. QVADRATO . ET . P . EVA
RISTO . LAIS . MATER STATVAM POSVIT OB
CVIVS DEDICAT . COLLIGENT . EPVLVM . EX MORE
EX IP . . . HS XII . . . VT QVODANN . IN PER
PET . DIE . NATAL . QVADR . V . ID . APR . QVA
RELIQVIAE EIVS CONDITAE SVNT SACRI
FICIVM FACERENT AN FARE ET LIBO ET IN
TEMPLO EX MORE EPVLARENTVR ET RO
SAS SVO TEMPORE DEDVCERENT ET STA
N
TVAM DECERNT . ET CORONAR. QVOD SE
FACTVROS RECEPERVNT (1)

Profecto haud dubius sum, quin prima marmoris frons Mazochio imposuerit. Nam si tanti acuminis vir paullo intimius rem penetrasset, sensisset utique, Natalem heic omnino pro die, quo Quadratus natus est, non pro emortuali positum. Sane enim neminem ignorare arbitror, veteres, ubi quid rariusculum, vel singulare alicui contigerit, numquam non in titulis, veluti memoria dignum, signare consuevisse (2). Atque millena prorsus

(1) Tert. vers. pro COLLIGENT fortasse positum COLLEG. DEND. i. e. Collegio Dendrophororum.

(2) Ap. Mur. *p. MMXCIV*. MAXIMILLA VIXIT ANN. XL. MENS. III. DEIB. XI. HORIS. VII. HAEC IN PARTV PERIIT. Adhuc nec memoriu indignum consuerint matrem *die natali filiae suae* periisse. Inscriptionem dedit Maffeius *Mus. Ver. p. CCLIX.* 4. DOMATIA L.L. ZOSIMA VIXIT ANNOS XII DOMATIA L.L. LEVCADIA MATER MORTVA EST POST BIENNIVM DIE NATALI FILIAE SVAE VTRAEQVE HEIC SEPVLTAE SVNT.

possem heic ex inscriptionibus corrogare exempla, ut veterum sedulitatem in huiusmodi rebus commemorandis patefacerem. Huiusmodi est quod in lapide apud Fabrettum *Cap. IV. n.* 448. de Recania quadam dicitur, quae quo die maritata, eodem prorsus, vertentibus annis fato cessit. Inscriptio haec est:

D . M
RECANIAE . C . F
MECIONAE . CON
IVGI . INCOMPARABILI
VNIVIRIAE . ET . . CASTISSIM
QVAE . SIBI . NVBSIT . III . K . FEB
MORTEM . OBIIT III. K . FEB
VIXIT . SECVM AN . XVII
T . FL . LIBERALIS . FEC
HEDONICVS MARITVS

Atque dum haec scribo, Romana epigraphes menti occurrit, extra portam S. Sebastiani, in qua sic fatur Christiana quaedam puellula: ΗΛΙΟΥ ΗΜΕΡΑ ΓΓΕΝΗΘΗ (corrige εγεννηθην) ΚΑΙ ΗΛΙΟΥ ΗΜΕΡΑ ΚΡΙCIS. ΜΟΥ. ΓΕΓΟΝΕΝ, quae licet omnium planissima, litem excitavit inter clarissimos Viros Martorellium, et Ignarram. Adsentiatur, non enim invideo, qui volet, Martorellio plaudenti, se eo titulo invictam Martyrem detexisse in *De Thec. Calamar. p.* 301. *et seqq.*, siquidem *το* ΚΡΙCIC tantumdem ac *Martyrium* valere omnino sibi suasit, ac multis evincere est enisus. Ego enim haud tam longe petita interpretatione opus esse video, ubi perspicua sunt verba, et sensus adprime obvius.

Proxime mentio praecessit Natalis diei, ΗΛΙΟΥ ΗΜΕΡΑ ΕΓΕΝΗΘΗΝ, die Solis nata sum; ergo verba quae sequuntur ΗΛΙΟΥ ΗΜΕΡΑ ΚΡΙϹΙϹ ΜΟΥ ΓΕΓΟΝΕΝ tamquam prioribus adversantia, procul dubio vertenda sunt *Die solis mea crisis fuit*, id est mortua sum. Atque *diem criticum* pro die mortis memini alicubi legisse, qui *dies fatalis* tum alibi (1), tum in lapide audit hisce probe diebus eruto Romae extra portam Capenam in Sepulcro gentis Memmiae, qui prostat apud Praelatum de Balneo: *A. Memmio Claro A. Memmius Vrbanus* cet. *Inter me, et te, nullum unquam disiurgium fuisse conscius sum mihi* cet. *neque ullus unquam nos disiunxisset* NISI HIC TVVS FATALIS DIES. Attamen est cur et ab Ignarra magno viro, et praeceptore olim meo discedam, quod puellulam hanc uno eodemque die et in lucem prodiisse, et fato simul concessisse putaverit. Non enim mihi totus inscriptionis adparatus cum infantula convenire videtur, quae lucem ut adspexit, amisit. Nec praeterea quadrare id video cum ceteris huiusmodi locutionibus, quae non raro in veterum memoriis occurrunt. Talis est lapis ap. Murat. *p. MDCCCXXXV*. 3. AVRELIA IVSTOCHIA VIXIT ANN. II. MENS. X. DIES XVIII. NATA EST DIE VENERIS EO DIE DEFVNCTA EST DIE VENERIS. Et Salerni ap. eumd. *p. MMXCV*.

(1) Ita ap. Fabrettum *Cap. II. n.* 153. NVLLVM DOLOREM ACCEPI TVI NISI QVOD FATALEM DIEM CELERITER PEREGISTI. Et ap. Grut. *p. CMXXI. n.* 10.

6. D. M. SATVRNINAE DIE SATVRNI NATA DIE SATVRNI DEFVNCTA VIX. ANNIS III. M. V. D. XX. Ergo, per me licet, non id vult Romanus lapis, eodemque prorsus dominico die (1) vix natam periisse istam, cuius nomen temporis iniuria nobis invidit (fractum nempe, ac superne mutilum prostat marmor), sed uti dominico die esse coepisse, ita et dominico die post annos recurrente esse desiisse.

Sane vero ut ad rem propositam propius, ac veluti per gradus accedam, si singulare visum antiquis, nec titulo praetereundum quod quis pridie Natalem suum annorum processu vita cesserit; nonne et singularius id, quod eodem die quo quis natus est, decursu temporis conditus fuerit? Lapis Parmae exstat, quem nisi fallor, Hieronymus Mercurialis primus omnium produxit in *de Arte Gymnastica Lib. III. Cap. XII.* in hunc modum:

D. M.
L . AEMILI . VICTORIS . QVI . PRIDIE . NATALEM . SVVM
VICESIMVM . ET . SECVNDVM . PRVNA . IN . PENSILI
POSITA . VRGENTE . FATO . SANVM . IPSE . NECA
VIT . SE . L . AEMILIVS . VICTOR . PRINCIPALIS . ET
AELIA . VENERIA . FILIO . PIENTISSIMO
ET . SIBI

Quod si dignum memoria existimaverint, L. Aemilium Victorem pridie natalem suum vicesimum

(1) Solis diem pro Dominico die etiam Christiani dixere; nec Principes tantum Constantius, Valentianus, uterque Theodosius in suis legibus, sed et Patres Iustinus *Apol. II.* Tertullianus *Apologet. Cap. XXI. et lib. I. ad Nation. Cap. XIII.*

secundum urgente fato necatum, ut quid praetermittere P. Petreium Quadratum ipso recurrente nativitatis suae die conditum esse? Sed dicam amplius, si NATALIS in isto Quadrati titulo pro emortuali die sit intelligendus, uti vult Mazochius, quid necesse edicere id erat, quo nihil proclivius, quod nimirum Quadratus eodem die et mortuus, et conditus sit? Fortasse non ita factum oportuit? Sed porro exempla hujusmodi non desunt in inscriptionibus, quod quis vertente post annos nativitatis suae die sit sepulcro consignatus. En in promptu Christianus lapis apud Gruterum *p. MLVII.* 9.

PRINCIPALIS
QVI . BIXIT . ANNIS
XLV . MENS . II. DEPO
SITVS . NATALE . SVO
IVSTINA . BENEMERENTI
CESQVET (*sic*) IN . PACE

Quid attamen si cavillosus quis et hunc Principalem contendat ipso mortis suae die (quod prorsus supervacaneum) conditum fuisse? Profecto nulla hinc Quadrati lapidi lux adfulget. Quid tu? Resiste parumper, nec tergiversandi locus patet. Quae enim veterum mens fuerit in ea expressione enucleatissime habes ex pulcherrimo ac quantivis pretii marmore apud Fabrettum Cap. IV. n. 485.

IXΘYC

POSTVMIVS . EVTHERION FIDELIS . QVI . GRATIA . SANCTA CONSECVTVS
PRIDIE. NATALI. SVO. SEROTINA. HORA. REDDIT. DEBITVM VITAE . SVAE . QVI . VIXIT
ANNIS. SEX. ET. DEPOSITVS.V. IDVS.IVLIAS.DIE.IOVIS.QVO ET . NATVS . EST . CVIVS
ANIMA. CVM. SANCTOS (*sic*) IN. PACE. FILIO. BENEMERENTI POSTVMII . FELICISSIMVS
ET . EVTHEMIA . FESTA . AVIA . IPSPIVS (*sic*)

Ergo Postumium Eutherionem pridie Natalem suum (1) vides hic vita functum (et Natalis certe, nisi prorsus coecutias, dies heic nativitatis est). Vides et eumdem ipso Natali suo sepulcro traditum, eo prorsus pacto, quo Quadrati ossa Natali suo condita dicuntur. Nec porro mussites, quod testem advocaverim lapidem Christianum. Mitto quod Quadrati titulus, licet profanus, nonnisi eamdem prope sapit aetatem; nam ex Christiano Postumii lapide tantum imnio ponderis nostro accedit argumento, quo facilius est apud Christianos, quam apud ethnicos ut Natalis pro mortis die usurpari possit. Addam hic mantissae veluti loco, singulare adeo antiquis id in primis habitum, quod quis multis vertentibus annis in eo ipso die vita cesserit, quo in vitam intraverit, ut numquam non, si quando acciderit, memoriae consignare praetermiserint cum scriptores, tum

(1) Eodem modo lapis alter ap. eumd. Cap. VIII. n. 93. *Verefaiane (sic) que (sic) vixit ann. V. et zes* (i. e. dies) *V. DECESSIT PRIDIAE (sic) NATALE Benumerenti (sic) parentes in pace.*

lapides. Plutarchus testatur *in Camil. Probl.* 1. Attalum Regem, tum et Pompeum Magnum eumdem sortitos esse et natalem, et fatalem diem. Plinius item *Hist. lib. VII. Cap. LIII.* tradit M. Ofilium Hilarum Comoediarum Histrionem eodem die vita functum, quo natus erat. De Caracalla inquit Spartianus *Cap. VI. Mortuus est die Natalis sui VIII. Idus Apriles* (1). Ad lapides quod adtinet, talis est apud Fabrettum *Cap. IV. n.* 482. *D. M. T. Flavio Paridioni vixit ann. XVIII.* DECESSIT *NATALI SVO T. Flavius Paris et Flavia Pithusa Parentes filio suo.* Et ibidem *p.* 481. *Iulius Balerianus qui vixit annis N. XX. NATALI SVO D. sodaliciarius bonus amoratus filetius usque at fotsa.* Item *p.* 252. *Karis Sanctissimo Kaletico compari dulcissimo qui in coiugio mecum vicxit annos XXII. Et omnem vitam complevit annos XLV. concessit* GENESI DIE X. KAL. SEPTEMBRIVM *in pace.* Et ap. Murat. *p. MCMXI.* 1. *Septimia Romana que* (sic) *vixit annis XIII. vita functa est XIII. Kalendas Octob. die natali suo.* Et ibid. p. MCMXI. 2. *VICTORE VITVS IN PACE QVI BIXIT ANN. XXXII. VSQVE NATALE SVO QVINTV IDVS MARTIAS* (2). Quid cetera moror? Ergo si

(1) Falsum id tamen ex Dione lib. LXXVIII. Cap. VI. qui auctor est, Caracallam vita functum pridie nonas Apriles, quarto scilicet die ante Natalem suum.

(2) Atque id sibi vult *Integer integros* in inscriptione ap. Donium *Cl. X. n.* 30. DOMVS AETERNA Ↄ ALDINAE Q.V.A. XV. INTEGROS INTEGRA MISERAE MATRIS DOLOR AETERNVS, et ap. Grut. *p. CMXXX. V.* 4. in qua Q. Balonius Thelesphorus vixisse dicitur annis LXXXI. *INTEGER INTEGROS*, quod nempe eodem mense ac die e vita cesserit, quo vivere coepit. Quod

*

omnis quanta est controversia, ex uno Quadrati marmore, cui unice innititur Mazochius, pendet, profecto vel universa antiquitate iudice actum est de quaestione.

CAPVT V.

Natalis propria notio exhibetur. Γενεθλια, et Γενεσια an differant inter se. Ammonii, et Mazochii opinio refellitur. Natalis celebrandi cura apud gentes omnes. Qui ritus apud Romanos.

Atqve ex his omnibus, quae huc usque disputavimus, patet Natalis voce eum diem designasse veteres, quo quis in lucem editus est, unde et procedentes numerabantur anni. Hinc Flaccus *Od. IV.*

Iure solemnis mihi sanctiorque
Paene natali proprio, quod ex hac
Luce Moecenas meus affluenter
Ordinet annos.

In cuius celebritate gentes omnes convenisse (1),

et diversimode dictum offendimus in Christiano lapide ex Coemeterio Pontiani, in quo Victor quidam Praesbyter sic loquitur: ANNORVM QVINQVAGINTA HODIE AETATEM PEREGI D. III. IO. A. . . .

(1) Facit hanc in rem Censorini locus ad Caerellium de die Natal. Cap. III. *Quum singuli homines suos tantummodo proprios colant Natales; ego tamen duplici quotannis officio huiusce religionis adstringor. Nam quum ex te, tuaque amicitia honorem, dignitatem, decus, atque praesidium, cuncta denique vitae praemia recipiam: nefas arbitror, si diem tuum, qui te mihi in hanc lucem edidit, meo illo proprio negligentius celebravero; ille enim mihi vitam, hic fructum vitae, atque ornamentum peperit.*

nemo ignorat ; Iudaeos in primis (1), Aegyptios (2), Persas (3), Graecos (4). Hinc ΓΕΝΕΘΛΙΑ, et ΓΕΝΕΣΙΑ dicebantur επιφοιτωσα του τεχθεντος εορτη *dies festus, qui propter aliquem natum quotannis recurrit; celebritas, quae quotannis agitur illo ipso die, quo quis est natus.* Et iterum Γενεσια, ἡ δε ενιαυτον επιφοιτωσα του τεχθεντος μνημην. *Natalia quae quotannis in nati alicujus memoriam celebrantur.* Ex quo vides inepte quantum Am-

(1) De Natali Herodis Matth. XIV. 6. *Die autem NATALIS Herodis saltavit filia Herodiadis in medio.* Et Marc. VI. 21. *Et cum dies opportunus accidisset, Herodes NATALIS sui coenam fecit principibus, et tribunis, et primis Galilaeae.* De Agrippae item Iudaeorum regis natali testatur Iosephus Antiq. Iudaic. lib. X. c. VII. qui quum Sylam teneret in vinculis, Natali suo solvi iussit : *Die festivo NATALIS sui, dum cuncti, quibus imperabat, in magna laetitia versarentur, Sylam revocari iussit, secum videlicet comesturum.*

(2) Vide Athenaeum *Lib. XV. Cap. X. Coronam pulcherrimis floribus composuit* (Amasia), *formaque praestantissimis, quam dono misit ad Partamidem Regem Aegypti quum NATALEM SVVM celebraret* : Sed et Iosephus Antiq. Ind. lib. XII. Cap. IV. de Ptolomaeo Aegypti Rege : *Interrogavit quae dona daturi sunt Regi DIE NATALI filii eius? Illis vero dicentibus, quosdam daturos decem talenta, alios autem nobiles secundum magnitudinem substantie suae, contristari se simulavit* cet.

(3) De Natali Regis Persarum ita Herodotus lib. IX. et ab eo Athenaeus Lib. IV. Cap. VI. *Regiam coenam Rex ipse proponit, quae semel tantum singulis annis paratur, eo die, quo Rex NATVS EST : quae coena Persarum quidem sermone Tycta, ac graece* τυκταν *adpellatur. Tunc caput solum purgat, Persisque mittit munera.* Et Plato in Alcibiad. I. *Postquam natus est primogenitus, qui in regno succedit, primo quidem eum diem omnes, qui sub regno sunt, celebrant; atque ita in posterum quotannis NATALEM REGIS diem sacris ac festis omnis Asia colit.*

(4) Scriptum est II. Mach. VI. 7. de Natali Regis Antiochi : ηγοντο δε μετα πικρας αναγκης εις την κατα μηνα του Βασιλεως γενεθλιον ἡμεραν επισπλαγχνισμον ; *ducebantur cum amara necessitate in die Natalis Regis ad sacrificia.*

monius vocem a voce distinxerit : Inquit enim Γενεθλια και Γενεσια διαφερει. Οτι μεν γαρ γενεθλια τασσεται επι των ζωντων, και εν ἑκαςος ἡμερα εγεννηθη, αυτη καλειται Γενεθλιος ἡμερα. Γενεσια δε επι των τεθνηκοτων, εν ἡ ἑκαςος ἡμερα τετελευτηκεν, ὁ ουν λεγων επι των ζωντων γενεσια, ακυρολογει. *Genethlia, et Genesia differunt. Genethlia enim de vivis dicuntur, et dies quo quisque natus est, natalitius sive natalis dicitur. Genesia autem de mortuis dicuntur, et is dies, quo quis mortuus est: qui igitur* γενεσια *de vivis usurpat, improprie is loquitur* (1). Atqui omni prorsus fundamento id Ammonii discrimen carere quisquis facile ex probatis auctoribus intelliget. Re quidem vera, ut alia omnia mittam, γενεσια vocatur *Matth. XIV.* et *Marci VI. 2.* convivium ab Herode in natalis sui memoriam proceribus paratum, tum et Iustino Martyri in Dialog. cum Tryphone. Nec nisi pari sensu γενεθλια Christi natalis dicitur Basylio *Orat. XXV. Nos quoque laetitiam voce exprimamus, non festo nostro imponamus Theophania : celebremus mundi salutaria*, την γενεθλιον ἡμεραν του ανθρωποτητος

(1) Immo Ammonio manifeste Plutarchus adversatur *Lib. VIII. Sympos. Probl.* 1. Γενεθλια vocantur festivitates in mortuorum honorem celebratae. Sed neque Plutarchum cum Suida convenire nosces, nec cum Hesychio: Γενεθλια τα επι τη πρωτη ἡμερα δωρα, και ἡ ευωχια, *Genethlia munera dicuntur in memoriam nativitatis, tum et convivium.* Quid autem si ab ipsis Graecis γενεσια a festis emortualibus distinguantur? tunc certe conclamatum erit Ammonio. En tibi Pollucis locum lib. III. cap. XIX. Ενατα τριακαδες γενεσια, νεκυσια. ταυτα επι θεραπεια των απηλλαγμενων νενομιστο: *noni dies trigesimi Natalia, mortualia. Haec ad religionem mortuorum observari placuit.*

diem natalem naturae humanae, tum Gregorio Nazianzeno *Orat. XXXIII. Nunc Theophania sive* γενεθλια *Natalis praesens celebritas; utroque enim modo adpellatur, duobus scilicet nominibus uni eidemque rei impositis; Deus enim hominibus* δια γεννησεως *per nativitatem apparuit; theophania hinc ideo hoc festum adpellatur, quod adparuerit.* γενεθλια *Natalia vero quod natus sit.* Et Epiphanio *Haeres. LI.* Απο της των γενεθλιων αυτου ἡμερας, τουτ' εςιν επιφανιων, *a die eius Natali, id est Epiphaniorum.* Atque haec vel ideo adnotasse non piget ne cui fucum Mazochius faciat, qui eo nomine Ammonium taxat, quod eas voces γενεσιας, et γενεθλιας alteram pro mortis die usurpari grammaticus dixerit, quum ambas is velit pro emortuali die usurpatas, quod omnino a veritate alienum.

Ad Romanos quod adtinet scimus Natales feriarum paene numero computatos, adeo nempe solemni religione insignes. De qua re Macrobius *Lib. I. Saturn. Cap. XV. Sunt praeterea feriae propriae familiarum, ut Claudiae familiae, vel Aemiliae seu Iuliae, sive Corneliae; et si quas ferias proprias quaeque familia ex usu domesticae celebritatis observat, sunt singulorum, ut* NATALIVM, *fulgurum susceptiones, item funerum, atque expiationum.* In quibus ex domesticae celebritatis consuetudine neque lites persequi, neque ius dicere, aut negotiari sibi fas putabant. Ita Martialis de Natali Restituti *Lib. X.*

Octobres age sentiat Kalendas
Facundi pia Romana Restituti
Linguis omnes, et favete votis
NATALEM COLIMVS, tacete lites.

Atque eo die aedes et exquisitius curare, et coronis lucernisque ornare solebant. Compendii ergo Plauti locum *Psevdol. Act.* 1. *Sc.* 2. adducam:

Tibi haec praecipio, ut niteant aedes:
Tu esto lectisterniator, tu argentum eluito, tu extruito:
Haec, cum ego a foro revertor, facite, ut offendam parata,
Versa, praesterga, strata, lautaque, coctaque omnia sint.
Nam mihi hodie NATALIS dies est.

Quod idem ex Ovidio intelligas *Lib. III. Trist. Eleg. XIII.*

Ecce supervacuus (quid enim fuit utile nasci?)
Ad sua NATALIS tempora noster adest.
Dure quid ad miseros veniebas exulis annos?
Debueras illis imposuisse modum.
Scilicet expectas solitum tibi moris honorem?
Pendeat ex humeris vestis ut alba meis?
Fumida cingatur florentibus ara coronis,
Micaque solemni thuris in igne sonet?
Libaque dem pro te genitale notantia tempus,
Concipiamque bonas, ore favente, preces?
Non ita sum positus, nec sunt ea tempora nobis,
Adventu possim laetus ut esse tuo.

Sacrificia autem primum Genio rerum parenti natali die obtinebant, quibus praeter Ovidium loco recit. et iterum *Am.* I. *Eleg.* VIII. alludit Horatius *Lib.* IV. *Od.* II. in Natal. Moecen.

Ridet argento domus? ara castis
Vincta verbenis avet immolato
Spargier agno.

Et Tibullus:

Dicamus bona verba, venit NATALIS ad aras,
Quisquis ades, lingua vir mulierque fave.

Convivia hinc et epulae datae, tum in Natali Principum, de quo Dio Cassius *Lib.* LIV. *Natalem Augusti Iulius Antonii filius tunc praetor celebravit: Senatum etiam, et ipsum Augustum ex decreto Patrum edulo excepit in Capitolio*, tum in privatorum natali, de quo Plautus *Persa*:

. . . . *Hoc age accumbe*
Nunc diem suavem meum Natalem inter nos
agitemus amoenum.

Et Martialis *Lib.* VII. *in Sextum*:

Ad Natalitias dapes vocabar,
Essem cum tibi, Sexte, non amicus.

Et rursus in Diodorum:

Natali Diodore tuo conviva Senatus
Accubat: et rarus non adhibetur Eques.

Atque hic cupediae loco Svessanum lapidem exhibeo (1).

M . CACIVS . C . F . CERNA
XV . VIR . TRIB . MIL . PRAEF
CALABR
NATALI . SVO . CAENAM
PVBLICE . POPVLO . SVESSANO
DARI . INSTITVIT
V . IDVS . SEPTEMBRIS

Nec vero est, cur persequar quanta sedulitate eo die munera hinc inde ab amicis missitata. Hinc *Natalitia Sardoniches* Persio dicitur, quae nempe Natali die accepta; et *Natalitium lardum* Iuvenali *Sat.* 2.

Moris erat quondam festis servare diebus,
Et Natalitium cognatis ponere lardum.

Vestimenta enim Natalitia memorat Petronius Cap. XXX. *Vestimenta mea accubitoria perdidit, quae mihi* NATALI *die donaverat cliens quidam.* Tum annulos, quo facit Plautus Cruc. v. 2. 25.

Hic annulus est, quem ego tibi misi natali die.

Plinius etiam *Lib. IV. Epist. ad Vrsum* testatur, Iulium Bassum, qui repetundarum post reditum a Bithynia postulabatur ob accepta munera, ita se excusasse: *sola se munuscula dumtaxat Natali suo aut Saturnalibus accepisse, et plerisque misisse* (2).

(1) Vid. Mur. p. MLXXXIII. 2.
(2) Accedit lex de muner. *Si vir uxori munus immodicum in Kalendis, aut Natali die dedisset.*

Demum non praeteream Natales Imperatorum muneribus, et ludis celebratos, de quibus vide Dionem *Lib. LIV*. Capitolinum in Pio, Spartianum in Hadriano, et Kalendarium Romanum.

CAPVT VII.

Quandonam NATALIS de interitus die usurpari primo coepit. Genuinus NATALIS, etiam Christianorum aevo celebratus. Cur Christiani veteres Martyrum passiones NATALES nuncuparint. Novane ea notio, an vetus. Mazochii opinio iterum reiicitur.

Constat itaque vel numquam, vel rarissime NATALIS vocem pro die mortis in litteratis veterum monumentis usurpatam. Tametsi enim cunctis paene celebritatibus in annos currentibus vocem illam communem fecerit antiquitas, uti fusius infra demonstrabimus, haud committere tamen voluisse videtur, ut laetissimi hominis verbum aliquo infaustitatis sensu infuscaretur. At ubi ille tandem illuxit Natalis, quo Dei Verbum Aeternum nasci in carne dignatus est, ac Orbis divina sapientia edoctus, alterius vitae felicitati inhiare incoepit, tunc profecto primum Natalis ille vere dictus est dies, quo non ad vitam temporariam hanc, sed ad aeternam nascimur. Atque nolim haec ita accipias, ut si aevo Christiano vel primaria Natalis notio, vel mos genuinae nativitatis celebrandae

desierit. Locupletissimus enim adstipulator est Sanctus Augustinus, sua adhuc aetate impensissime veros celebratos Natales, a nobilibus viris praesertim. Cujus locum huc adsuere eo magis praestat, ut cuivis constet, etiam apud Christianos aevo Augustinianeo ita prorsus celebratum Natalem, ut apud ethnicos: *Quando aliquis*, inquit S. Pontifex (*Orat. 1. de Advent.*) *homo potens aut nobilis* NATALEM *suum, aut filii sui celebrare desiderat; quanto studio ante plures dies, quidquid in domo sua sordium invenerit, ordinet emundari; quidquid ineptum, et incongruum proiici; quidquid utile et necessarium praecipit exhiberi. Domus etiam, si obscura fuerit, dealbatur; pavimenta scopis mundantur, et diversis respersa floribus adornantur; quidquid etiam ad laetitiam animi, et corporis delicias pertinet omni sollicitudine providetur.* Quid quod alter accedit Augustini locus insignis (*lib. de Ordin.*) quo Natalem suum convivio celebrasse testatur, ubi parentis ingenium se periclitatum saepe adserit, *et praecipue in quadam disputatione non parvae rei, quam* DIE NATALI MEO *cum convivis habui, et in librum contuli* (1). Sed ut quod res est, ingenue dicam, ne de omnibus quidem vocem istam usurpare primaevi Christiani sibi licitum putarunt, sed de illis tantum, quos per mortem

(1) Haec illa disputatio est de beata vita, quam ipse Augustinus Lib. II. Retract. ex occasione Natalis sui ortam dicit.

in Christo ad vitam immortalem transisse certo tenebant. Ecclesia Smyrnensis apud Eusebium *Hist. Eccl. lib. IV. Cap. XXIV.* de Polycarpo scribit, *celebrare sese martyris illius* ημεραν Γενεθλιον *diem natalem, tum ad memoriam eorum, qui certamen illud iam certarunt, tum ad eorum, qui idem certamen essent subituri, exercitationem, et praeparationem.* Nec certe anniversaria Martyrum festa alio nomine, quam Natalis, celebrari à fidelibus consuevisse, adprime cum Canon ille LI. docet Concilii Laodiceni: *Quod non oporteat in quadragesima martyrum natalitia celebrari: sed eorum sancta commemoratio in diebus sabbatorum, et Dominicorum fieri conveniat;* tum et vetustissima Ecclesiae Kalendaria (1), et martyrologia, et lapides aperte ostendunt. Veluti apud Reinesium *Inscr. Cl. XX. n.* 1. ABVNDANTIVS ACOL. REG. QVARTE (sic) TT. VESTINAE QVI VIXIT ANN. XXX. DEP. IN P. D. NATA. SCI MARCI MENSE OCTOB. IND. XII. ubi Acolythum istum vides in Pace Domini depositum Natali Sancti Marci. Et ap. Murat. *p. MCMXX.* 6. PASCASVS VIXIT PLVS MINVS ANNVS (sic) XXII. FECIT TATV III. IDVS OCTOBRIS VIII. ANTE NATALE DOMNI ASTERI DEPOSITVS IN PACE. Is est Asterius Martyr Ostiensis, qui in Martyrol. Romano signatur. Atque vero Patres in primis huic instare video Na-

(1) Vide tabulam marmoream Kalendarii vetustissimi ap. Murat. *Thes. Inscr. pag. MCMLXVI.* cui inscripta NOTICIA NATALICIORVM SANCTORVM HIC REQVIESCENTIVM.

talis notioni. Audi Caesarium *Hom.* I. *de S. Genesio : Martyrum passiones Natales vocamus dies, quando eos martyrii vita, et gloria fidei, dum ingerit morti, genuit aeternitati, et perpetua gaudia brevi dolore parturiit.* Nec minus egregie S. Augustinus eamdem urget rationem *Serm. x. de Sanctis : Digne natalem istorum colimus, quos beatius aeternae vitae mundus edidit, quam mundo maternorum viscerum partus effudit.* Et in Ps. xxxix. *Mortes, in quas Pagani saevierunt, in illis hodie reficimur, Natalem martyrum celebramus, exempla martyrum nobis proponimus.* Et S. Paulinus *in Nat. S. Felicis:*

Venit festa dies caelo celeberrima terris ;
Natalem Felicis agens, qua corpore terris
Occidit, et Christo superis est natus in astris
Caelestem nactus sine sanguine martyr honorem.

Et Chrysologus *Serm. cxxix. Natalem Sanctorum quam auditis, charissimi, nolite putare illum dici, quo nascuntur in terra de carne, sed de terra in caelum, de labore in requiem, de cruciatibus ad delicias.* Superest Prudentius Peri steph. *Hymn. xi. de passion. Hippolyti.*

Iam cum se renovat decursis mensibus annus
Natalemque diem passio festa refert.

Atque ut hoc addam, tanta Patrum in ea explicanda notione sedulitas cui bono, si obvia ea fuisset, et profanis usitata? Proinde nec Mazochio adsentiar, qui, quam suo semel animo concepit

opinionem, perpetuo tenens, adfirmare haud veritus est Christianos a gentilitate notionem illam mutuatos p. 225. *Dum veteres Christiani diem passionis martyrum γενέθλιον natalem appellarunt, non novam ei vocabulo notionem subiecerunt, sed usitatam iam a gentilibus ipsis locutionem amplexi fuere.* Sed si ab ethnicis istam acceperint Christiani notionem, cur non omnibus mortuis, ut is de gentilibus sentit, communem fecerint, et passionibus tantum martyrum reservaverint? Minus repugnaverim, si veterum morem eos sequutos dixisset, qui anniversariis festis omnibus Natalis vocem adpinxerunt. Sed absque dubio alia fuit mens veterum Christianorum, ut intelligere est, cum a Patribus iam supra productis, tum ob Origene in primis Lib. III. *Diem mortis celebramus, quia non moriuntur hi, qui mori videntur; propterea et memoriam sanctorum facimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quam etiam nobis confirmationem in fide postulantes.* Atque eo prorsus pacto Natalis laeta vox solis Martyrum emortualibus diebus aptata, quo et honor reliquiis tantum eorumdem tributus, quos cum Christo vivere Christiana fides humanis mentibus suggerit. *Pro legis iudaicae ritu*, inquit Basylius, *si qui moriebantur, horum morticinia habebantur abominationi: Contra, mors si cuipiam irrogatur pro Christi nomine, pretiosae censentur reliquiae Sanctorum ejus.*

CAPVT VIII.

Natalis vox ad quamcumque anniversariam celebritatem traducta. Plura de Natali Deorum, Imperii, Vrbium, Coloniarum, Signorum. Item apud Christianos Natalis Calicis, Ordinationis, Cathedrae, Templi.

Quum autem Natali non tam ipsam nativitatem, qua quis primum in lucem editur, quam diem natalem recurrentem notet, eo res evasit, ut omne id quod quotannis recurrit graecis γενέθλια, γενεσια, γενέθλιον, latinis Natalis, Natale, Natalitium vocaretur. Hinc Natalis Deorvm is dies dictus, quo numinis alicuius dedicatum est templum; veluti Natalis Dei Patri in lapide Neapolitano ad S. Ioan. Maior. *C. Heratio. A. F. Pal. Severiano Equiti Rom. Cur. Reip. Tegianensium* cet. *praeposito amore patriae et honorem aedilitatis laudabiliter administravit*, et diem felicissimam iii. idvs ianvari Natali Dei Patri cet. Et *Natalis Salutis* apud Tullium *Lib. IV. ad Attic. Ep.* 1. dies scilicet, quo Salutis Aedes dedicata est Romae in colle Quirinali. Eodem modo *Natalis Mercurii*, cui alludit Martialis *Lib. XII. Ep. LXVIII.*

Maiae Mercurium creasti idus.

Vt enim Festus monet, *Idibus Maiis mercatorum dies festus erat, quod eo die Mercurii aedes*

esset dedicata. Item Γενεθλιον Σεραπιδος Natalis Serapidis in Actis graecis S. Marci Evangelistae, quae edidit Henschenius. Et Γενεθλιον Επιφανους apud Clementem Alexandrinum. Inquit enim de Cephalenis: Και συνιοντες εις το ιερον κατα νουμηνιην Γενεθλιον αποθεωσιν Θυουσι Επιφανους, *Et cum nova est luna, convenientes Natalem Epiphanis celebrant, quo relatus est inter Deos.* Atque multos huiusmodi Natales habes in Kalendario, quod Constantini aevo conditum est apud Bucherium *De doctrin. Temp. p.* 288. Ibi inter ceteros notabilis dies est VIII. KAL. IAN. N. INVICTI. C. M. XXIV. idest *Octava Kalendas Ianuarias Natalis Invicti* (Mithrae) *Circenses, Missus XXIV.* (1) Notabile, inquam, id. Vides enim Natalem Solis invicti Mithrae eo quidem die a paganis statutum, quo Christi Domini, qui verus est Sol iustitiae, Natalis fuit, ac celebritate omnium solemniori singulis annis in Ecclesia colitur. Nimirum illud demum pertentasse diabolum ediscimus, quod peregrinis fere omnibus Romam inlatis superstitionibus, falsum postremo Persarum numen Mithram CHRISTO IESV

(1) Adamussim ludos eo die in honorem invicti Mithrae actos docet Iulianus Imp. Orat. IV. „Itaque statim exacto ultimo „mense, qui Saturno dicatus „est, ante initium anni magni„ficentissimos ludos in honorem „Solis committimus, quos In„victo Soli nuncupamus". Quo autem pacto in hunc diem VIII. Kal. Ian. plane ludi isti incidant, pluribus explicat Cl. Petavius ad hunc Iuliani locum.

vero Deo opponeret (1), ut profanis impiisque Mithrae mysteriis ad imitamentum sanctiorum Christianae Religionis Sacramentorum compositis, veluti aemulatione aliqua Christianae fidei miram sisteret propagationem (2). Nimirum ea fuit impii impia mens, qui homicida fuit ab initio, ut in

(1) Zoroaster (teste Porphyrio in lib. de antr. Nimph.) „ Primus omnium montibus Persidis vicinis antrum in honorem creatoris patrisque omnium Mithrae consecravit ".

(2) Qua primum aetate Sacra Mithriaca Romae recepta, non ita facile constitues. Sane Plutarchus in vit. Pomp. auctor est, Mithrae Mysteria haud Romanis monstrata, nisi post debellatos a Pompeio Piratas, post annum nempe V. C. DCLXXXVII. Id autem de prima cultus notitia accipiendum. Nec scio an Sacra Publica Romae ante Commodum obtinuerint, de quo Lampridius ait: *Sacra Mithriaca homicidio vero polluisse.* Nam lapides certe, iique sat frequentes ante Commodi aevum nonnisi privatum numinis cultum commonstrant. Nemo at insaniori religione Mythram est prosequutus, quam qui a vero Sole Christo Deo desciverat Iulianus Imperator, ut ex eius Orat. (vide et lib. de Caesar.). Id autem mirari haud desinam, quod etiam quum Crucis signum Caesarum diademati praefulgeret, Mithrae sacra Romae celebrarentur. Constat id ex lapide ap. Murat. p. CCCLXXXVII. 2. ubi *Rufius Cejonius* PATER SACRORVM MITHRAE dicitur GRATIANO, ET MEROBAVDE coss. qui Consules processerunt anno Christi CCCLXXVII. Nec finis fabulae fuit, nisi, ut certe teneo, anno sequenti. Testem habeo locupletissimum S. Hieronymum Epist. VII. ad Laetam: „ Ante paucos annos propinquus vester Graechus, quum Praefecturam gereret Urbanam nonne Spelaeum Mithrae, et omnia portentosa simulacra, quibus Cotax, Gryphus, Miles, Leo, Perses, Helios, Bromius, Pater initiantur, subvertit, fregit, excussit? At quo anno Praefecturam Vrbanam Gracchus iste gesserit, opportune intelliges ex L. unic. C. Theod. *Ne quis in sua caus.* data ad Gracchum Praefectum Vrbi Kal. Dec. Valente VI. et Valentiniano II. Coss. anno nempe CCCLXXVII. Qui fuit Mithrae, eiusque cultus vere emortualis.

uno effingendo Deo, quae Christi erant propria, symbola omnia conglobans, uno impetu totum redemptionis nostrae Sacramentum invaderet. Hinc leonina facie is deus repraesentabatur, quemadmodum a Luctatio, Statii interprete, ad primum Thebaidos scimus; nimirum quod scriptum est de Christo: *vicit leo de tribu Iuda*. Mysteria autem Mithriaca non aliud, quam ignem respexisse Firmicus docet *de Error. prof. Relig.* (1), scilicet ut occuparent quod Christus edixerat: *ignem veni mittere in terram*. Porro quum Christus Sol iustitiae sit dictus, hinc Mithra idem ac Sol habitus, teste Hesychio, Suida, Strabone *Lib. XV.* et lapidibus, ut apud Grut. *p. XXXIV.* 5. DEO SOLI INVICTO MITHRAE FL. SEPTIMIVS ZOSIMVS SPELEVM CONSTITVIT. Et ibid. n. 7. SOLI INVICTO MITHRAE TIBERIVS CLAVDIVS THERMODORVS SPELEVM CVM SIGNIS DEDIT. Et Cumis *p. XXXIII.* 6. SPELEVM RESTITVTVM D. S. I. M. Et in ara Musaei Aquilani SPELEVM SOLI INVICTO CONSVMAVER. Antra vero, et spelaea ei dedicata, in quibus templorum vice sacra peragebantur, nonnisi ut ad Bethlemiticam specum alluderent, in quo natus est Christus (2). Docebant item de petra natum Mithram (3), siquidem Chri-

(1) Vide Q. Curtium *Lib. IV. Cap. L.* ubi de Dario.

(2) Vid. Commodiani carmina poetae Christiani, qui Constantini M. aevo floruit, edita a Rigaltio an. 1650. S. Hieronym. lib. I. adv. Iovinian. Iustinum Dial. cum Tryphone. Iul. Firmicum lib. I. de error. Prof. Relig.

(3) Vide Tertullianum de Co-

*

stus lapis de monte excisus, et lapis in fundamento conlocatus dicitur. Quid si et lavacra in iisdem mysteriis adhibita, ut baptismi adumbraretur Sacramentum? Tertulliani verbis utor *de Praescr. Cap. XL.* (1): *Tingit et ipse diabolus quosdam, utique credentes, et fideles suos, expiationem delictorum de lavacro repromittit, et si adhuc memini, Mithra signat illic in frontibus milites suos, celebrat panis oblationem, et imaginem resurrectionis induit.* Quo locò vides, et Eucharistiae imaginem ingeri. Sed non panem tantum, sed et poculum etiam in impiis mysteriis oblatum, *verbis quibusdam additis*, Iustinus auctor est *Apolog.* 2. *pro Christ.* (2). En quibus nefandis ceremoniis, et scelestis mysteriis, pollutisque Sacramentis Sacra et initia Mithrae perficiebantur (3). Sed

ron. Milit. in fin. Iustinum Mart. in Dialog. cum Tryphone Iudaeo; Iulium Firmicum loc. cit. S. Hieronym. Epist. VII. ad Laetam, et S. Paulinum inter Opera a Cl. Muratorio edita.

(1) Vide Tertullianum rursus de ea re conquerentem lib. de Baptism.

(2) Accedit quod eius Mystae milites dicebantur, et martyrii etiam mimum agere gestiebant, dum corona, qua in martyriis donabantur e capite in humerum reiecta, suam coronam Mithram esse testabantur, ut Tertullianus auctor est lib. de Coron. milit.

(3) Hinc Mithram seu Solem passim *Dominum ac Regem* adpellat Iulianus Orat. IV. Et Porphyrio *Creator, et pater omnium* dicitur; et *Sanctissimus* in lapide ap. Grut. p. xxxvi. 1. Sed et *Omnipotens* demum in veteri cippo Neapoli:

OMNIPOTENTI
DEO MITHRAE
APPIVS CLAVDIVS
TERRONIVS DEXTER
V. C. DICAT

tandem ut fabulam omnem clauderet diabolus, eo prorsus die VIII. Kal. Ianuarias Mithrae Natalem ludis, et circensibus celebrandum intrusit, quo Dei Verbum in tempore nasci dignatus est. Unum addam, insignem nempe Io. Chrysostomi locum hanc in rem, sive quisquis sit antiquissimus Homiliae auctor in S. Lucam *de Nativ. Io. Bapt. Sed et* INVICTI NATALEM *adpellant. Quis utique tam invictus, nisi Dominus Noster? qui mortem subactam devicit. Vel quod dicant* SOLIS NATALEM *esse: ipse est Sol iustitiae, de quo Malachias Propheta dixit: Orietur vobis timentibus nomen ipsius Sol iustitiae, et sanitas est in pannis eius* (1).

At e diverticulo in viam; nec tamen data occasione longius abiisse poenitet. Patet itaque et Deos suos habuisse Natalem in ethnicae superstitionis stoliditate. Quo faciunt frequentes Patrum primaevae illius aetatis querelae, obiurgationesque. *Telluris Natalis est*, inquit Arnobius *lib. VII. Dii enim ex uteris prodeunt, et habent dies laetos, quibus eis adscriptum est auram usurpare vitalem.* Et Minucius Felix in Octav. p. 60. *Omitto vetera quae multa sunt, et de deorum Natalibus, donis, muneribus.* Tertullianus item de

(1) Videsis Homil. hanc tom. II. Oper. Chrysostomi Edit. Venetiis an. 1583. quam certe antiquissimam esse ipse fatetur Caveus De Script. Eccles. pag. 186.

Idolol. Cap. X. *Idem fit Idoli Natali, omni diaboli pompa frequentatur.* Demum Lactantius Lib. VI. Cap. XX. *Nam ludorum celebrationes deorum festa sunt; siquidem ob Natales eorum, vel templorum novorum dedicationes sunt constituti.* Et mox: *Si quis igitur spectaculis interest, ad quae religionis gratia convenitur, discessit a Dei cultu, et ad deos se contulit, quorum natales, et festa celebravit.*

Nec vero ratione praeditis tantum, sed cui cuique rei, eventibusque, quorum in annos recurrebat memoria, tributam Natalis vocem passim videmus. Hinc Natalis Imperii (1), apud Herodotum lib. IX. *Xerxes diem qua Rex dictus fuit, tamquam imperii Natalem singulis annis insignem celebravit, quo coenam etiam proceribus suis dabat.* Et de Herode Rege Iosephus Heb. lib. IX. Cap. ult. *Quum occurrisset templi dedicatio, Regisque Natalis dies, quo principatum assumpserat, insignis est celebrata festivitas.*

(1) Natalem Imperii Augusti habes in Narbonensi ap. Grut. p. ccxxix.: *VII. Idus Ianuar. qua die primum imperium orbis terrarum auspicatus est, thure, vino supplicent et hostias simul immolent et colonis incolisque thus vinum ea die praestent.* De eo Tacitus Lib. II. Hist. *Is primus principatus dies in posterum celebratus.* Et in Vespasiano Suetonius Cap. VI. *Tiberius Alexander Praefectus Aegypti primus in verba Vespasiani legiones adegit, Kal. Iul. qui principatus dies in posterum observatus est.* Et Capitolinus in Pertinace: *Circenses et imperii natalis additi, qui a Severo postea sublati sunt.*

Et Spartianus in Hadrian. Cap. IV.: *III. Id. Aug. Natalem Imperii instituit celebrandum.* Sed praeter Imperii Natalem (1), et NATALIS ADOPTIONIS meminit Spartianus idem: *Quincto Id. Augusti Legatus Syriae litteras adoptionis accepit, quando et NATALEM adoptionis celebrari iussit.* Quo facit Hadriani nummus: IMP. CAES. TRAIAN. HADRIAN. OPT. P. F. AVG. GERM. DAC. PARTHIC. DIVI. TRAIANI. AVG. F. P. M. TR. P. COS. P. P. ADOPTIO (2). NATALIS ORBIS dies Aegyptiis dicebatur, quo creatus est mundus, quem et solemni memoria Kalendis Augusti, ac die Sabbati quidem quotannis celebrant. De eo praeter Solinum haec ex Philone Iudaeo habemus Lib. III. de vita Mosis: *Intellexit hanc esse MVNDI NATALEM, coelo terraeque festam, et omnibus terrestribus exhilarantem cun-*

(1) Sequiori aetate dies quo Imp. lucem adspexit *Natalis genuinus* dictus ad discrimen *Natalis imperii.* Atque ita passim in LL. Codicis Theodosiani. Nec nisi *Natalium* voce hi duo Natales veniunt, ut ex L. II. lib. XV. Tit. V. de Spectac. *Nullus omnino iudicium, aut theatralibus ludis, aut circensium certaminibus, aut ferarum cursibus vacet, nisi illis tantum diebus, quibus vel in lucem editi, vel imperii sumus sceptra sortiti.* Qui dies feriati ambo erant ut ex L. II. de feriis: *Parem necesse est haberi reverentiam nostris etiam diebus, qui vel lucis auspicia, vel ortus imperii protulerunt.* Unde et NATALIVM FESTIVITAS adpellantur L. 30. de Praetorib. *Nam et scenicae voluptates populo praebitae, et Circenses editi.* Unde CIRCVS NATALITIVM Paullo Diacono dictus lib. XX.

(2) Vide Eomenium in Paneg. IX. et Lactantium de mort. persecutor. Cap. XLVI. tum et Laterculum Sylvii apud Cangium, ubi *Natalis Valentiniani Purpurae.*

cta concinnissimo septenario. Hanc ob rem ille maximus Moses aequum censuit, ut omnes adscripti eius civitatibus celebrarent hunc diem otio, festisque hilaritatibus, intermissis laboribus, et opificiis quaestuariis, negotiisque victum parantibus; Ablegata etiam tantisper ceu per inducias sollicitudine anxia.

Praeterea Natalis Vrbis dictus anniversaria diei celebratio, qua primum condita urbs est, vel cum primo illi impositum est nomen. Ac de Natali Vrbis Romae Hadriani numus exstat apud Waillantium Tom. I. in quo mulier humi iacens cum rota, ac pone ipsam obelisci tres cum iscriptione: ANN. D.C.C.C.LXXIIII. NAT. VRBIS. P. CIR. CON. S. C. Idest *Natali Vrbis populo circenses constituit Senatus Consulto.* De eo Tullius Divinat. lib. II. Cap. XLVII. *L. Tarutius Firmanus familiaris noster, in primis chaldaicis rationibus eruditus Vrbis etiam nostrae Natalem diem repetebat ab iis Palilibus, quibus eam a Romulo conditam accepimus.* Vnde Palilia quotannis in Natali Romae celebrata (1), quibus alludit Ovidius Fast. lib. IV.

Per flammas saliisse pecus, saliisse colonos,
Quod fit Natali nunc quoque Roma tuo.

(1) Atque Palilia ista, id est Natalis Romae XI. Kal. Maias signatus tum in veterum Kalendariis, tum apud Plinium Lib.

Sed haud praetereundus locus alter Tullii pro Flacco: *O Nonae illae Decembres, quae me Consule fuistis; quem ego diem vere Natalem huius Vrbis, aut certe salutarem adpellare possum.* Porro huc facit Lex 2. Cod. Theod. de feriis, qua Valentinianus, Theodosius, et Arcadius Imp. iubent feriatos esse *Natalitios dies urbium maximarum, Romae, et Constantinopolis, quibus debent iura deferre, quia et ab ipsis quoque nata sunt.* Sed de Natali Constantinopolis haec a Codino accipimus in Orig. C.polit. *Τη επαυριον το Γενεθλιον της πολεως γεγονε, και μεγα ιπποδρομιον, οτε η πολις ωνομασθη Κωνσαντινοπολις. Postero die celebratus fuit Natalis Vrbis, et ludus circensis satis amplus, quando Vrbs vocata fuit Constantinopolis* (1). Paria habet Eusebius de Constantino in Epist. Temp. *Εποιησεν εορτην μεγαλην, κελευσας τη αυτη ημερα επιτελεισθαι το Γενεθλιον της πολεως αυτου,*

XVIII. Cap. XXVI. Solinum Cap. 2. Eutropium lib. I. De eo Plutarchus in Romulo: ἡ κτισις ἡμερα γενοιτο τῃ προ ενδεκα Καλανδων Μαιων ομολογειται, και την ημεραν ταυτην εορταζουσι Ρωμαιοι γενεθλιον προς πατριδος ονομαζοντες. *Urbem igitur ad XII. Kal. Maii coepta aedificari, opinione omnium satis constat: eumque diem festum Romani agunt,* NATALEM PATRIAE *nuncupantes.* Qui dies etiam sub Christianis Caesaribus celebratus, ut ex Sozomeno, et Symmacho lib. VI. Ep. 40. Immo et circenses exhibiti, ut ex Cassiodori Chronico sub Philippo Imp.

(1) Constantinopolis Natalis celebratus V. idus Maias, ut ex Marcellino Comite, Cassiodoro, Cedreno, Zonara, et Chronico Alexandrino.

Magnum celebravit festum, iussitque eo ipso die urbis suae Natalem celebrari (1).

Eodem modo NATALIS COLONIAE obtinuit, quo nimirum die deducta aliquo est colonia. Lapidem Beneventanum habes apud Devita *Antiq. Ben.* p. 86. n. 2. in quo L. Sontius Pancius, MVNERARIVS NATALIS COLONIAE dicitur. Tullius *Orat. pro Sextio Cap. LXIII. Quum ipsis nonis sextil. idem dies adventus mei fuisset qui reditus, NATALIS idem carissimae filiae, quam ex gravissimo tunc primum desiderio luctuque conspexi; idem* (*NATALIS*) *etiam ipsius coloniae Brundusinae erat.* Et iterum Lib. IV. ad Attic. Ep. 1. *Brundusium veni nonis sextilibus. Ibi mihi Tulliola mea fuit praesto Natali suo ipso die, qui casu idem Natalis erat et Brundusinae Coloniae, et tuae vicinae Salutis. Quae res animadversa a multitudine, summa Brundusinorum gratulatione confecta est.* Ubi uno loco et Natalem Tulliolae, et Natalem deae Salutis, et Coloniae Natalem habes. Quid quod adeo recursus omnis rerum suarum Natalis Tullio habebatur, ut Natalem reditus sui cum adpellaverit diem, quo est ab exilio revocatus Lib. III. ad eumd. Ep. 20. *Ad quae recupe-*

(1) Meminit Natalis Civitatum S. Augustinus in Ps. XXXIX. *Noli ergo numerare turbas hominum incedentes, latas vias implentes, crastinum circum CIVITATIS NATALEM clamando celebrantes, civitatem ipsam male vivendo turbantes.*

randa per fortunas incumbe, ut facis, diemque NATALEM REDITVS *mei cura, ut in tuis aedibus amoenissimis agam tecum, et cum meis.* Nimirum uti exilium pro civili morte habetur, ita et exilii finis quaedam nova nativitas est.

Natalis item Collegii in veteri cippo apud Grut. p. CLXXI. 8. *Ti. Claudius Chresimus ob honorem quinquennalitatis Collegio Dendrophorum Romanorum quibus ex Senatus Consulto coire licet argenti pondo x. et HS. x. millia nummum reddidit* QVAE DIVISA SVNT POPVLO PER GRADVS K. AVG. COLLEGI NATALI. Et apud Fabrettum p. 724. ITEM PL. PR. NON. NOV. N. COLLEGI DIVIDERENT; idest placuit pridie nonas Novembres Natali Collegii. Et demum in Doniano lapide *Inscr. ant. Cl. III. n.* 44.

L. SEPTIMI GETAE
SAECVLARIA
SAECVLI FELICITAS
P. PETRONIVS FAVSTVS AVGVR
KAL. AVG. N. COLLEGI
NVMMIO ALBINO FVLVIO AEMILIANO COS.

Quem vel ideo produxi, ne quis a clarissimo Muratorio decipiatur, qui haec in lapidem adspersit p. CCCLII. 2. *Nomine Collegii dicata fuit haec inscriptio.* Omnino male; ibi enim τὸ *N.* COLLEGI non *nomine Collegii*, sed NATALI COLLEGI legendum.

Pari sensu NATALIS NAVIGATIONIS is anni dies salutabatur, quo post menses hibernos navigationem veteres auspicabantur. De eo Apuleius Met. XI. p. 365. *Diem, qui dies ex ista nocte nascetur, aeterna mihi nuncupavit religio, quo sedatis hibernis tempestatibus, et lenitis maris procellosis fluctibus, navigabili iam pelago, rudem dedicantes carinam, primitias commeatus libant mei sacerdotes.* Et Vegetius IV. 39. *Post Natalem, ut ita dicam, navigationis, qui solemni certamine, publicoque spectaculo multarum gentium celebratur.* At qui proprie is dies fuerit, pronum est ex eodem intelligere: *Ex die III. iduum Novembris usque in diem sextum Iduum Martiarum maria clauduntur.*

Demum NATALIS AQVILAE in marmore apud Murator. p. CCCXXXV. 2. I. O. M. PRO SALVTE M. AVRELII ANTONINI ET AVRELII VERI AVGVSTORVM OB NATALE AQVILAE VEXILLARIOR. LEG. VII. Et iterum n. 3. OB NATALE AQVILAE VEXILLARIOR. quod ad annum Christi pertinet CLXXXIV. Eo enim anno sub Impp. M. Aurelio, et L. Vero processerunt Consules Marullus, et Aelianus in votiva tabula signati. Nec nisi ita supplendus lapis alter ap. eumdem p. VII. OB NATALE......LEG. 7. nimirum *ob Natale Aquilae* (vel mavis *Signorum*) *legionis VII.* ut expresse ibid. p. CCCXXXVI. 3. OB NATALES. SIGNOR. VEXILLARIOR. COH. III. CELTIB. L. Aelio Aurelio Ve-

ro III. et Quadrato Coss. nempe an. Chr. CLXVII.

Porro inducto semel, quod quaevis anniversaria celebritas NATALIS diceretur, pronum fuit ut vox eadem eodem sensu in Ecclesia invaluerit. Nam NATALIS CALICIS dies Caenae Domini passim adpellatus (1), ut ex Eligio Novicomensi Episcopo ediscimus Hom. x. *Vocatur haec dies Caena Domini, vocatur et Natalis Calicis. Et merito talibus praefulget miraculis, quia hac eadem die Mysterium Paschae Dominus cum discipulis celebrans, Sacramenta Corporis et Sanguinis sui illis, atque per illos nobis tradidit, et ipse celebrationis initium fecit.* Et Ratramus Corbiensis Lib. IV. contr. Graec. Cap. III. *Natalem Calicis similiter, ut diem dominicum habere debemus, in quo sacrificium Domini Corporis, et divini Sanguinis ab ipso Domino celebrationis sumpsit initium* (2).

Praeterea NATALIS ORDINATIONIS pro anniversaria diei celebritate, quo quis primum Pontificatu est inauguratus, passim Patribus dictus. Hinc *Natalis Felicis Comensis* apud Ambrosium Lib. VIII. Ep. LX. *quo ille susceperat gubernacula summi Sacerdotii.* Et in Martyrol. Rom. Natalis Ordinationis S. Ambrosii Episc. Mediolanensis (3). Item

(1) Natalis Eucharistiae Landulpho dicitur.

(2) Vide Homiliae fragmenta *in Natalem Calicis*, quae de Avito Viennensi habemus.

(3) Quem diem Graeci etiam reverentur. Videsis Menologium.

Natalis Aurelii Episcopi Carthaginiensis apud Augustinum Serm. XXXIII. de Sanct. (1). Porro de Natali Anastasii Pontificis ita Paulinus adhuc Presbyter Ep. XVI. ad Delfinum: *Ad Natalem suum, quod Consacerdotibus suis tantum deferre solet, invitare dignatus est.* De Natali suo Leo Magnus Serm. III. *Illi ergo* (Beato Petro) *hunc servitutis nostrae natalitium diem, illi adscribamus hoc festum, cuius patrocinio sedis ipsius meruimus esse consortes.* De Natali suo Xistus Pontifex Epist. ad Ioannem Episcopum Antiochen. *Audivit universa fraternitas, quae ad Natalis mei convenerat diem* (2). Et Hilarius Papa Epist. ad Ascanium, et ceteros Episcopos Tarraconensis Provinciae: *Lectis ergo in conventu fratrum, quos Natalis mei festivitas congregarat, litteris vestris.* Et in Praefat. ad libel. precum Marcellini et Faustini de Damaso Pontifice: *Quos etiam quum ad Natale suum solemniter invitasset.* Et Anastasius in Vit. Hadrian. I. *Constituit, ut quatuor vicibus in anno ipsum Pharum accenderent, id est in Nativitate Domini, in Paschate, in Natali Apostolorum, et in Natali Pontificis.*

(1) Vide et Augustini *Hom. XXIV.* et seq. *de suae Ordinationis Natali.*

(2) Vid. Eiusd. Epist. ad Cyrillum Alexandrin. an. CCCCXXX, quo *venerabilem Synodum se die Natali suo congregasse* testatur.

Adhaec NATALIS CATHEDRAE in Laterculo Bucheriano signatur, quod medio quarto aevo conditum fuit. Ibi VIII. KAL. MART. NATALE PETRI DE CATHEDRA. De quo et Augustinus Serm. XV. de Sanct. *Institutio solemnitatis hodiernae a senioribus nostris Cathedrae nomen accepit, ideo quod primus Apostolorum Petrus hodie Episcopatus cathedram suscepisse referatur. Recte ergo Ecclesiae Natalem sedis eius colunt, quam Apostolus pro Ecclesiarum salute suscepit. Quod Natalis ergo Cathedrae hodie colitur, sacerdotale honoratur officium.*

Succedit NATALIS TEMPLI, de eo Sacramentarium vetustissimum, quod edidit Iosephus Blanchinius tom. IV. Anastasii p. XXXIX. NATALE BASILICAE ANGELI IN SALARIA, id est festum Dedicationis Basilicae.

Sed quid plura? Sane festis omnibus id vides tributum nomen. Nam et dies translationis reliquiarum Natalis dictus in Martyrologio Hieronymiano: *IV. Non. Aug. in Antiochia NATALIS RELIQVIARUM Stephani Protomartyris, et Diaconi.* Quid quod Pascha, et Pentecostes, et Festum Sanctorum omnium Natales dicti? Ita profecto in charta quadam Pontii Episcopi Atrebatensis apud Cangium: *Singulis annis viginti solidos cursalis monetae reddere tenebitur quatuor Natalibus, scilicet quinque in festo omnium Sanctorum, quin-*

que in Natali Domini, quinque in Pascha, *et reliquos quinque solidos in Pentecoste.* Demum et annuus supplicationum recursus, quae ab Alexandrinis quotannis XII. Kal. August. Deo Opt. Max. agebantur ob urbem ab ingenti motu terrae, ac inundatione maris servatam Γενεσια του Σεισμου, *Natalis terraemotus* Sozomeno adpellatur *Hist. Eccl. Lib. VI. Cap.* 2. Sed manum de tabula.

COMMENTARIOLVS

DE REBVS

FRANCISCI SERAI

Ex praestantissimis viris, quos Campania Felix virtute ac doctrina insignes tulit, unus profecto omnium maxime commendandus exstitit Franciscus Seraus, Italiae singulare lumen et ornamentum. Is quarto circiter ab urbe Aversa lapide in eo pago occidentem versus, qui S. Cyprianus dicitur, XI. Kalendas Octobres anni MDCCII. natales ex honestis ac piis parentibus sortitus est, Paullo nempe Serao, et Hippolyta Furnia Aversana. Puer ingenii docilitatem, memoriaeque tenacitatem nactus, litteris adprime vacavit, gravitatis ac usurae temporis supra aetatem amicus. Quo pueri sciendi ardore excitatus pater, doctrinis omnibus, quibus puerilis aetas impertiri solet, eum erudiendum impense curavit. Mox anno MDCCXIV. hortante pa-

Decimo octavo aetatis suae anno hanc vitam exaravit Auctor. Verum curante Clarissimo Angelo Fabronio Pisanae Academiae Moderatore, Pisis prodiit anno MDCCLXXXIX inter *Vitas Italorum doctrina illustrium, qui saeculo XVII et XVIII floruerunt.* Tom. XIV.

truo Antonio Serao, Neapolim deductus est, atque litterario in ludo apud Patres Societatis Iesu non aequales tantum, verum etiam natu majores facile praecivit. Ludicris enim longe sepositis, sapientiae eo usque inhiabat, ut nec sodalium illecebris, nec urbis oblectamentis a suscepto semel studiorum curriculo abduceretur. Illud Quinctiliani, *ille se profecisse sciat*, *cui Cicero valde placebit*, alta mente repostum tenens, tanti Tullium ea prima aetate, quanti neminem alium fecit. Ex cujus jucunda adsiduaque lectione non minus latini sermonis elegantiam, quam recte cogitandi, ratiocinandique doctrinam adripere connisus est.

Porro Latinis Graeca conjunxit, in quae singulari, ultra quam credi potest, studio incubuit. Verum nondum triennio exacto, e vivis Paullus pater praerapide sublatus est. Quo acerbissimo casu a studiis suis aliquantisper avocatus est Seraus. Nam inopino illo fato contristata mater gravem incidit in morbum, extremumque clausura foret diem, ni pro defuncto viro Franciscum natum in ore conspectuque suo habuisset. Quare pietatis officio adductus ut ad proprios se lares referret; ibi diutius, quam proposuerat, coactus est consistere. Vbi vero mater a luctus consternatione se se erexit, e vestigio Neapolim Franciscus remeavit, atque majore animi alacritate intermissa resumpsit studia. Interim, quum Mathematicae ac Philosophi-

cae provinciae velificari incoepisset, sedulam utrique operam impendens, majorem erga se in diem apud aequales concitavit existimationem. Atque inde factum, ut usque undique condiscipuli perreptarent ad gymnasium ad domum, interiorem ejus familiaritatem adfectantes.

Emensus anno MDCCXVII. rei Philosophicae stadium, animi aliquantulum pendebat, juris ne scientiam, an medicam disciplinam amplecteretur. At natura, quae in eo efformando totam se se impendisse visa est, non ad politiores tantum litteras, verum etiam ad rem medicam nobilitandam eum delegerat. Itaque hanc ceteris anteposuit, cui se se totum libenter addiceret. Principio ad naturae abdita in humano corpore perscrutanda, cadaverum dissectionibus segniter vacavit, atque ex tricosa partium constructione morborum praeludia, signa, progressus felicissime divinavit. Anatomicae scientiae Physiologiam, Chymicam, Botanicen, Pharmaceuticen comites adjunxit. Haec omnia triennio circiter adsequutus, Blasio de Puteo, qui tum non vulgari florebat existimatione, se se tradidit, atque ejusdem methodum curandorum morborum observaturus, nosocomia, aegrorumque domus simul circumire instituit. Verum, quum in Regio Archigymnasio tunc temporis medicinam, quae vulgo *practica* audit, Nicolaus Cyrillus consummatae peritiae medicus, domo Gruno, doceret,

evenit ut Seraus, qui publicas Cyrilli praelectiones numquam non audire passus est, ejus doctrina humanitateque maxime captus sit. Hinc missione singulari modestia a Blasio de Puteo statim impetrata, in Cyrilli fidem se se dedit, quo facem praeferente, intima medicinae sacraria facilius penetravit. Nihil interea de animi erga bonas artes ardore remisit, quin potius auxit. Quum enim Cyrillus, cui amplissima erat bibliotheca, lectissimis undequaque libris instructa, eorum libenter copiam Serao fecisset, is opportunam hanc nactus occasionem, haud ita facile dici potest, quanta animi contentione, sive humaniorum litterarum, sive medicae artis auctores diu, noctuque voraverit. Inter ceteros Celsum unum veluti omnium facile principem maximi faciebat, nec diem abire umquam sivit, quin suavissimam aliquam Celsi particulam attigerit, ut profecto quemadmodum Tullius Terentium, ita Seraus Celsum *librum suum* identidem nominaret, a cujus lectione aut commendatione ne in provecta quidem aetate umquam cessavit. Quapropter et adolescentibus in medicinae studia ingressuris non semel atque iterum hunc maxime proponere consueverat.

Ad haec Historiae etiam, et Geographiae, ceterisque disciplinis haud imparem impertivit operam. Quemadmodum enim in plantis atque herbis usuvenit, ex quibus, quae benignioris sunt

naturae, salubriores e solo succos ad coalescendum exsugunt, ita prorsus Serao accidit, ut quum singulari indole esset, meliora ipse sequeretur studia, quibus ad miraculum instructus facillime se se in virorum sapientia et auctoritate praepollentium familiaritatem insinuavit. At vero Cyrillus, quum in dies cognosceret adolescentem doctrina ac multigena antiquitatis cognitione praestantem, omnem industriam ad rem medicam exornandam conferre, eum magis magisque aestimare, suique pene loco nati habere coepit. Atque inde, ubi ipse prae diurno laborum pondere negotiis suis omnibus satis esse non poterat, ut medicis consultationibus per se Seraus responsa daret, et voluit, et imperavit. Sed non heic restitit ejus cura, et studium; otii quippe impatiens, et laboris amicus domi philosophicum ac medicum ludum anno MDCCXXIII. aperuit, qua quidem in exercitatione ita se gnavum industriumque probavit, ut auditorum commodis unice intentus, dum simul conabatur mira sibi eos humanitate devincire, simul plana docendi methodo in penitissimos sacratissimarum disciplinarum sensus vel invitos deduceret. Quo factum, ut illustrium ea tempestate virorum in se admirationem converterit, quorum etiam exhortationibus excitatus est, ut ad cathedram petendam more majorum accederet.

Ac sane anno MDCCXXVII. publico indicto candidatorum experimento, quo prima medicinae theoreticae provincia impleretur, vicesimum quintum annum agens Seraus gravissimorum hominum, Physiologiae Cathedram petiturus, conspectum, judiciumque summa cum laude sustinuit. Anno deinde MDCCXXXII. in anatomicae cathedrae petitione iterum ingenii sui, plaudente medica Republica, periculum fecit, eamque obtinuit. Demum sequenti anno, nimirum MDCCXXXIII. secunda theoreticae medicinae Cathedra ei communi suffragio, non sine litteratorum gratulationibus, fuit decreta. Duobus vero hisce annis binas ad Regii Archigymnasii alumnos in solemni studiorum anniversaria instauratione elucubravit orationes, quarum alteram publice habuit, alteram non recitavit; ambae tamen mandante Caelestino Galiano Archiepiscopo Thessalonicensi, et studiorum amplissimo moderatore, lucem adspexere. Per eadem fere tempora medicis institutionibus limandis se dedit, quas in juventutis commodum jampridem e penu suo elaborarat: opus profecto mira eruditione, judiciique maturitate praestantissimum, cui et medicas aliquot diatribas, et nonnulla pro re nata subinde adjecerat. Heic interea Hippolytae matris mors sequuta est, quam qui vivam insigni pietate coluit, denatam desiderare non destitit. Dolorem at mox dolor excepit. Extremo enim autumno

anni MDCCXXXIV. magno omnium luctu ac moerore Cyrillus, cui omnia noster ferebat accepta, ingravescente cordis labe, ac interiora magis infestante, doloribus undique exacerbatus Deo animam reddidit. Cujus tanti viri iactura eo Serai animus vulnere concidit, ut numquam processu temporis mitigari potuerit.

His ita se habentibus anno MDCCXXXVII. Vesuvius, qui per septem fere annos quieverat, incendio conflagravit, atque tanta fuit candentium saxorum, quam evomuit, copia, ut horrendum exhibuerit torrentem, finitimis oppidulis Orientem spectantibus exitium minitantem. Inopinum portentum, Caroli Regis, qui tribus ante annis Neapolitana dominatione potitus fuerat, animum haud leviter perculit. Quamobrem huius eventi caussam posteritati commendare volens Rex Caelestino Galiano mandavit, ut eam Vesuvii conflagrationem ab Academia (scilicet, quam is jampridem ex viris doctrina praestantissimis collegerat, cuique Cyrillum praefectum, Seraum a secretis pronuntiarat) adcurate describendam curaret. Haud diu acerrimo ingeniorum aestimatori deliberandum fuit cuinam committenda provincia; e vestigio enim Regis nomine negotium Serao demandat, qui in se onus libens recepit, ac brevi exquisitam Regi de litteris benemerentissimo obtulit postremae Vesuvianae conflagrationis descriptionem. Quam vero op-

timo Regi acceptum opus fuisset, ex eo potissimum arguas, quod aegre passus Italiae finibus Neapolitanae litteraturae gloriam concludi (italice enim scripserat auctor) eumdem ad pensum latinae absolvendae versionis revocavit. Imperatum ea sedulitate vir magnus perfecit, ut Augustea prorsus aetate scriptam credas. Quamobrem et sapientissimi Regis gratiam, et ab universa litteraria republica sibi plausus conciliavit. Opus enimvero id est omni omnino commendatione dignum, quum quidquid est antiquitatis, et historiae, quidquid elegantiae, et eruditionis, in eo plane recondi videatur. Hoc unum tamen prae ceteris hic monendum duco, quod ubi Galliam opus pervasit, gallico statim idiomate Parisiis prodierit. Interea, quum secundae medicinae *practicae* cathedrae Praefectus anno MDCCXL. chronico morbo fuisset correptus, studiorum statim moderator in Seraum cogitationem intendens, illum ad sustinendas infirmi vices sufficit; quo e vivis anno MDCCXLIII. sublato, eam nemine contradicente est consequutus.

Praeterea anno MDCCXXXVIII. quum Alexander Cyrillus medica Nicolai Cyrilli consilia praelo dare constituisset, Noster maxima in se a Cyrillo conlata beneficia memori recondens animo, operi disertissime praefatus est, vitaeque historiolam, quam multo ante pertexuerat, adposuit. Neque hanc extremam in praeceptorem fuisse Serai curam;

atque studium, ex his quae sequuntur, aperte datur cuique dignoscere. Cyrillus ante annum MDCCXXVIII. Michaelis Ettmulleri opera medica suis illustrationibus ditaverat, in quibus quum ad trutinam omnia exegerit, et alia probaverit, alia reiecerit, rem aequissimam Michael Ernestus Ettmullerus, Michaelis filius, iniquo adeo animo tulit, ut Neapolitanae Scholae medicum facile principem castigatione satis acerba, ac etiam contumeliosa, impetiverit, quam et Actis Lipsiensibus anno MDCCXXXI. insertam voluit. Qua re cognita, Cyrillus indignam Ettmulleri accusationem gravi responsione propulsavit, suos uberius aperiens sensus. Verum hanc Academici Lipsienses, tametsi enixe a Cyrillo rogati, ut iisdem Actis committeretur, prorsus restiterunt. Prodiit tamen Genevae in *Bibliotheca Italica tom. XVIII.* Utriusque autem morte sequuta, Ettmulleri nempe hoc eodem anno, et Cyrilli mox exacto fere triennio, universa lis consopita cunctis videbatur, quum Cyrilli abitione audaciores facti Lipsienses pugnam veluti succenturiati milites cum mortuo redintegrarunt, fore neminem sperantes in Urbe nostra, qui secum esset congressurus. Sed Lipsiensium expectationem frustravit eventus. Seraus enim Romae apud Cl. Leprottum divertens, ut primum renovatam a Lipsiensibus pugnam sensit, statim eo animum adiecit, ut in certamen ipse pro prae-

ceptore suo descenderet. Vindicias autem omni ex parte absolutas adversariis primo marte opposuit, multa animo volvens, nisi demum adquiescerent. Sed res eo primo conatu restitit. Nam acre Serai ingenium, eruditio, et scribendi gravitas exteros homines omnino turbavit. Excusas porro vindicias ad calcem Consiliorum Cyrilli habes, de quibus mox sermo redibit.

Factum autem anno posthac MDCCXLII. III. Kalendas Februarias, ut sex amplius supra quincentos, tenelli, ac pellucidi globuli turbidulam aquam recludentes foras ex ventre apri eruperint, qui a Rege Carolo sclopi ictu percussus cecidit. Rei novitas multas inter physicos, et turbas, et opiniones excitavit, Regisque, huiusmodi rerum scrutatoris eximii, animum movit, ut a Serao, cuius doctrinam in Vesuviano opere abunde perspexerat, ea de re observationes exposceret. Neque ulla interposita mora Noster, Regis optimi imperio parens, diatribam ponderosissimam, tametsi brevem illi obtulit, quae Neapolitanis primum typis, mox Romanis etiam, anno MDCCXLV. in litteraria ephemeride Palcariniana est excusa.

Eodem anno Mahmudus Turcarum Imperator Carolum Regem elephanto in officiosae, nec vulgaris amicitiae argumentum donatum voluit. Monstrosae etiam hujus belluae descriptionem Rex idem a Serao efflagitavit. Verum antequam suas

Noster in lucem emitteret animadversiones (emisit enim eodem anno typis Regiis) vir quidam haud infimi subsellii, nec inglorius, ut nostro palmam fortasse praeriperet, praematuros in idipsum argumentum conatus festinavit, edidit que. At siquidem virtus neque eripi, neque surripi potest, contra votum res cecidit. Seraus enim, licet natura ad iracundiam minime proclivis, concitatus tamen quam qui maxime, scriptiunculam sui generis prorsus novam in eum fudit, in qua quidquid est elegantiae, et festivitatis, quidquid eruditionis, et acuminis, quidquid iocorum, leporum, sententiarum, facetiarumque conglobavit, aemulum suum unde unde obruens. Nisi quod magna opellae parte confecta, quominus eam absolveret Hieronymus Frater, Aversae Canonicus, doctrina ac pietate spectatissimus praefracte obstitit, cujus enixe operam apud Fratrem, vir ille, imminens famae suae periculum veritus, imploraret. Sane nisi aliud Serai monumentum extaret, vel hoc unum, currenti licet calamo fusum, ac intercisum denique, sufficeret, quo omnibus versatile ejus ingenium patesceret. Mirum enim, rem tam exigui argumenti tam granditer pertractatam. Neque sileam heic Joannis Baptistae Morganii Medici praeclarissimi de hoc opusculo testimonium, cui maxima cum nostro intercedebat necessitudo. Scriptiunculae lectionem in gravissi-

morum hominum consessu susceperat vir summus, quum in ista saepe proruperit : *Quanta hinc Neapolitanorum gloriae accessio* ! *quanta in una et altera cartula eruditio* ! Immo ut ex amici litteris sensit, spongiae incubuisse quidquid reliquum erat operis, ea protinus excanduit ira, ut pileum, quem capite gestabat, iratus proiecerit. Hac Seraus cura expeditus in novam se coniecit. Hoc enim eodem anno trinas de Appulo phalange lectiones elucubravit, quae Galiano iubente, publici iuris factae novam, amplissimamque auctori gloriam peperere. His successit anno MDCCXLIV. Regis imperio, anatomica leonis descriptio, qui pridie Kal. Februarias eiusdem anni in Regio leporario obiit.

Quam plurima alta scripsit, ex quibus anno MDCCXXXIX. epistolam ad summum virum de re litteraria publica benemerentissimum Alexium Symmachum Mazochium, quae in calce Mazochiani operis de dedicatione sub ascia prostat. Eodem anno, rogante Marco Poleno, diligentissimo antiquitatis perscrutatore, atque mathematico nemini secundo, commentariolum elaboravit de rebus Alexii Symmachi Mazochii, qui per id tempus quartum supra quinquagesimum aetatis annum agebat. Quamvis vero imperfectum id sit, tanti tamen est, ut nemo ex doctis postremam illi manum addicere ausus sit. Interea quum Antonius Le-

prottus summi Pontificis Benedicti XIV. medicus cubicularius Seraum de pestis contagione arcenda consuluisset anno MDCCXLIV. epistolam reddidit illi Seraus, in qua summa eruditione Chicoyneum perstrinxit, cujus scripta paullo ante ei legenda tradiderat Galianus: *orationem* nempe *Academicam* latinam, *qua communis de contagio pestilenti opinio refellitur*, quam anno MDCCXXII. Chicoyneus edidit, et *observationes* aliquot *genericas de pestis contagio una cum observationibus, quibus remedia indigitantur* praeservationis a peste, quae postrema Gallico scripta erat idiomate. Anno dein. MDCCLII. a Joanne Bruno medico Melitensi de tabifica contagione prohibenda sententiam rogatus, suum hac de re iudicium ponderosis litteris commendavit. Scripsit etiam anno MDCCLV. universa Europa plaudente, *Schediasma de suffocatis ad vitam revocandis*. Haec vero omnia uno fasce collecta in opusculis extant, quae anno MDCCLXVI. Agnelli Lupuli patrui desideratissimi cura, et studio excusa fuere. Quamplurima alia pro re nata elucubravit, quae tum pro devexa aetate, tum quod pleraque malo pessimo interciderant, lucem intuita non sunt. Inscriptionum praesertim ingentem numerum habemus, quas inter praecipuae sunt, quae ad Coenotaphium Michaelis Archangeli Patricellii, avunculi magni Archidiaconi Aversani, Fractae in maiori Ecclesia legitur, et in-

scriptio ad Agnelli Vaxalli tumulum. Carmina quoque diversis temporibus diversa fudit, quae utinam luce donarentur ad patriae gloriam, nedum commodo huiusmodi cupediarum amatorum. Epistolas insuper latinas frequentissimas dedit ad viros suae aetatis praestantissimos, prae ceteris vero ad Alexium Symmacum Mazochium, et Michaelem Archangelum Patricellium, cujus ante paullo memini.

Tredecim annos in altera medicinae *practicae* Cathedra ornanda Seraus exegerat, quum primaria vacaverit anno MDCCLIII. Ac ubi Regis decreto, communi omnium petitione patuisset, quod suum institutum, vitaeque rationes ab ineunte aetate susceptae postulare videbantur, periculo se proximis eiusdem anni comitiis exposuit, Cathedramque istam summo prorsus exterorum Neapolitanorumque plausu LI. annum agens est consequutus. Curis ingravescentibus quum ipse sibi domi unice vivere non posset, anno MDCCLVI. Nicolettam Zuccharelliam viduam honesto loco natam sibi matrimonio iunxit, ex qua unam, neque degenerem habuit filiam, matris nomine Hippolytam, quam persancte educatam Franciscus Antonius Rossi Jurisconsultus sibi nupsit. Vix autem dicere est quam multis variique generis curis vir summus distineretur; ut omnes mirarentur, quî homo pluribus intentus, et anxietate quandoque

obrutus, ac pene suffocatus, poterat et minutias temporis suffurari, quas lucro adponeret. Neque enim nisi subsecivis horis doctissimas Joannis Pringlii medici Angli observationes *de castrensibus morbis* e Brittannico in patrium vertit sermonem, quae anno MDCCLVII. Neapolitanis typis prodiere. Atque hic novus Seraì labor non parvo quidem universae medicorum genti fuit emolumento. Qui enim ante hac Brittannici sermonis imperitia ab insignis operis lectione arcebantur, id exinde terere, ac prae manibus continuo habere coeperunt. Quid quod in lucem vix emissum latam adeo Serao famam per universam pene Europam conciliavit, ut nihil supra? Ea enimvero facie Pringlianas observationes illustravit, ornavitque Seraus, ut nonnisi e penu sua emissae viderentur. Ad haec eximius doctor Maclulans ex Italia Angliam reversus, quum clarissimo Pringlio *observationes de castrensibus morbis* a Serao Italo sermone donatas obtulisset, tanta gestivit exsultatione Pringlius, ut grati sui animi sensus per epistolam locupletissime Nostro patefecerit; in qua non modo se illi obstrictum professus est ob exquisitas laudes, quibus in praefatione, observationibus praefixa, opus honestavit, sed amplius significatum expresse eidem ac declaratum voluit, quod si ante versio isthaec in suas venisset manus, quam tertia Anglica pro-

diisset editio, profecisset utique additionibus, quas italicae versioni Noster adpinxerat. Hoc functus labore sequenti anno MDCCLVIII. Reginae nostrae Carolinae Austriacae Augustae medicus creatur. Fama at hominis undique longinquas praesertim regiones pervagante, quum multa ac magna Carolo Regi praestitisset officia, tum et Carolinae Reginae, atque universae Aulae, aequum erat, ut qui in medica schola Neapolitana, et in re litteraria publica primas tenebat, primo etiam inter clinicos honore cohonestaretur. Quod iure merito, et omnium ordinum plausu consequutus est anno MDCCLXXVIII. quum Ferdinandi Regis Augusti medicus intimus, et totius Regni Archiater est renunciatus.

Praeter Pringliani operis versionem nihil amplius a uostro accepit orbis litterarius. Ex iis vero, quae hactenus de eo dicta sunt, vel cuivis intelligere datur, Seraum a natura ingenium versatile sortitum esse; cuicumque enim rei manus admovebat, ea quidem dexteritate, atque solertia tractabat, ut nonnisi huic unice vacasse videretur. Id quod locupletissime testantur varia eius opera, quae a praestantissimo quoque in eo genere elabora videntur. Nam saepissime, re postulante, stylum ea mutavit facilitate et felicitate, ut eius opera vix ab uno profecta crederes.

Summa porro, et exquisita pollebat eloquentia, et eruditione, ut neque familiariter, nisi erudite etiam loqueretur, quod maxime omnes in eo mirabantur. Quin Senecae effatum illud in mentem revocans, et circumstantibus saepe repetens: *quaedam tempora eripiuntur nobis, quaedam subducuntur, quaedam effluunt. Turpissima tamen est iactura, quae per negligentiam venit*; meditationi semper, vel scriptitationi intentus, nullam nisi perexiguam ad relaxandum animum quietem sibi indulsit. Summo mane surgere in more habuit, matutini temporis perquam parcus; nec multum in multa etiam aetate somno tribuit. Immo a patruo meo Agnello, quem filii prope loco is habebat, audiisse memini, quod quum aliquando senem obsecrasset, ut a laboribus aliquantisper diverteret, cum Diogene respondit: *quid si in stadio currerem? Oporteret ne me iam vicinum metae cursum remittere, an non potius intendere?* In medendi arte quantum sibi auctoritatis supra ceteros conciliarit, vix dici potest, ut quocumque vocatus, tum aegroti familiam, tum decumbentem ipsum ad bene sperandum sola sua praesentia erigeret. Ergo aegrotum ubi primum convenisset, ex adverso adsidens decumbentem quam officiosissime salutabat, tum sermone ex industria interposito, cum eo verba dum commutabat, frontem interim, vultum, oculos, loquen-

di facultatem, respirandique rationem, quam adcuratissime perscrutabatur, ex qua exploratione faciliorem certioremque se, quam ex pertentato pulsu, de aegroti statu capere coniecturam dicere solebat. Tum collectis unde unde artis praesidio indiciis, animum aegrotantis recreare modis omnibus adnitebatur, quae erant sperandae salutis argumenta diserte proponens. Id quod ea suavitate, et gratia, ac vultus hilaritate praestabat, ut aeger oratione ipsa excitatus, iam prope ex morbo convaluisse videretur. Ac revera cunctis de nostra Civitate scitum, ac maxime litteratis, quod interioris notae amicus (is est Nicolaus Ignarra in Regia Studiorum Academia Sacrae Scripturae interpres, quem in Graecis Hebraicisque litteris praeceptorem habui) exeunte autumno anni MDCCLXXXIII. acuto, difficillimoque morbo correptus ac plane desperatus, quum ad Seraum de valetudine sua bene sperantem, oculos animumque intendisset, erecto pauxillulum ex pulvinari capite, Ovidianum illud pronunciavit:

Huius ab alloquiis anima haec moribunda revixit,
Vt vigil infusa Pallade flamma solet.

Etsi vero in medicinis adhibendis parcissimus fuerit, ut cunctando potius valetudinem restituere velle videretur, in illud tamen totus incumbebat, ut quo natura ferebatur, diligentissime, scrutaretur eamque praeveniendo iuvaret.

Ad haec egenorum miseratione inclaruit, quorum indigentiae modis omnibus se se adcommodare studebat. His enim, medicinae caussa arcessitus, non artis subsidio tantum, sed etiam rei suae familiaris opitulabatur.

Ut vero artis peritia, philosophiae profunditate, ac politioribus litteris nemini unquam cessit, ita et vitae morumque honestamentis parem habuit neminem. Praeter enim singularem in Deum pietatem, cui primas semper dedit, ea fuit modestia, probitate, integritate, ut adprime in hoc homine, veluti in speculo quodam omnes contemplarentur, quantum litterae valeant ad indita a natura honestatis semina fovenda, quantum ad luxuriantes cupiditates stringendas coercendasque, quantum ad animi tranquillitatem servandam. Ea insuper prudentia in nostro eluxit, ut in Aula Regia immortale sibi nomen pepererit. Ut autem erat ad omne officium, ita ad omnium animos ac voluntates devinciendas factus. Humanitatem enim, facilitatem, atque suavitatem adeo cum gravitate temperabat, ut a cunctis amorem, nedum observantiam exegerit. Nihil porro dicam de constantia, quum numquam alicuius gratia, vel metu propositi sui excusserit tenacitatem. Quanta item eius fuerit in laboribus tolerantia, vel id tantum argumento sit, quod homo gravissimis continuo immersus curis, quamplurima elucubraverit opera.

multiiuga eruditione, ac venustate dicendi insignia. Liberalitate etiam non in amicos tantum, quos ad mensam quam frequenter adhibere consueverat, sed in miseros adprime usus est. Discipulos non tantum dilexit, verum et amavit, quos heic vel recensere longum esset, ac fortasse etiam odiosum, si quem invitus praeteream. Nec vero est, quem lateat, ex eius schola praestantissimos quosque in arte prodiisse, eamque habitam veluti seminarium professorum Regiae Academiae Neapolitanae.

Miti igitur Noster erat natura, vultu sereno, sermone iucundo. Elegans, non magnificus; splendidus, non sumptuosus; comis non sine severitate, nec sine urbanitate gravis. Gloriae, nisi honestati coniunctae, numquam se cupidum praebuit. A contentionibus, altercationibusque continuo abstinuit; et si aliquando in disceptatione aliena arbiter ipse a litigantibus esset vocatus, ne iniurius alterutri videretur, vel se hinc extricabat, vel discrepantes animos exquisita prudentia componere adnitebatur. Res omnibus quidem anno MDCCXLVIII. innotuit. Lutetiae Parisiorum lis eo anno suborta de medicorum, et chirurgorum dignitate eo paullatim processerat, ut magistratuum curam, Regisque Christianissimi providentiam excitarint. Chirurgi, a medicae facultatis auctoritate alienati, medicorum iura ac praescripta pessum omnia habuere, nec passi sunt eos candidatorum

suorum iudices sedere. Ex adverso medici, qua argumentationibus, et scriptis, qua modis quibuscumque quum nihil quidpiam ad tam novos, et exitiosos chirurgorum ausus refrenandos profecissent, id reliquum viderunt, ut ad nostram facultatem, ceterasque Europae Academias adpellarent. Datae hinc anno MDCCXLVIII. pridie idus Decembres ad Neapolitanam facultatem litterae S.B.G. a Martinenyo saluberrimae facultatis Parisiensis Decano, quibus insignes nostrae Academiae medici rogabantur, ut, singulis universae contentionis articulis perpensis, sententiam ea de re dicerent. Martinenyi epistolae Seraus nostrorum nomine anno MDCCXLIX. XIV. Kal. Maias graviter humaniterque rescripsit (1).

Industriam at omnem non in eo posuit, ut gloriam ex eruditionis et doctrinae adfluentia, scribendique elegantia aucuparet, sed in medicorum, chirurgorumque animis demulcendis, conciliandisque, ut ita Galliae decori, et honestati, Professorum famae, et existimationi, studiosae demum iuventutis exemplo probe prospiceret. Unde postremo loco posuit: *nihil hic de ea re legibus scriptis traditum, aut praestitutum esse: sed omnia passim inter medicos, chirurgosque modestia, observantiaque mutua, quae viros graves, artem*

(1) Hujus epistolae autographum penes me est cum Martinenyi litteris.

difficillimam gravissimamque profitentes, maxime decet, transigi. Atque ita unius Serai rescripto tota illa evanuit dissensio.

Quocirca quamplurimos Neapoli amicos, eosque doctissimos habuit, quibus praestabant duo illa eiusdem aetatis ornamenta, Alexius Symmachus Mazochius Campanus, Regius S. Scripturae interpres, ac Metropolitanae Ecclesiae Neapolitanae Canonicus (1), et Michael Archangelus Patricellius avunculus meus magnus, Aversae Canonicus Archidiaconus, eiusque Seminarii moderator, quem non alio quam praeceptoris nomine solebat adpellare, quippe adolescenti sibi facem ad virtutis, et

(1) Vide Mazochium in de sub Ascia pag. 94. col. 1. *Quibus adde et hoc elogium, quod dum in his essem ex Dan. Clerici Hist. Med. suppeditavit mihi Vir doctissimus, et amicissimus Franciscus Seraus.* Ibidem pag. 244. *Ecce meus ille Eurystheus, Seraus Noster tertio me certamini opponit.* Rursumque pag. 256. *Haec est asciae medicae constitutio, quam Francisco Serao summopere probatam, visamque verissimam gaudeo.* Et iterum pag. 257. *Serao quidem Nostro suspicio subiit, quae et mihi, fateor, iam initio subierat.* Adhaec et in Vindic. Repet. Actor. Bonon. S. Jan. 17. *Eruditissimo Francisco Serao viro amicissimo, et huius Regii Gymnasii primario medicinae professore sequestre, rogatus a me fuit doctissimus Dominicus Faber in Bononiensi Lyceo eloquentiae Professor.* Praeterea in Tabul. Heracleens. Comment. pag. 61. tom. 1. *Vir amicissimus Franciscus Seraus, in hoc Regio Lyceo primarius medicinae professor, doctrina atque elegantia celeberrimus.* Demum in epist. ad Joan. Bapt. Morg. in Com. vet. marm. Kal. tom. 2. pag. 496. *Tum sane multum viro utriusque nostrum amicissimo, ac parium studiorum causa coniuncto Francisco Serao pluribus de caussis debeo etc.*

sapientiae viam terendam addidit. Fuerunt etiam ex suis familiarissimis, atque intimis Nicolaus Capassus Regius Pandectarum doctor; tum et Josephus Bonocorius, et Ignatius Calcius, Graeci ille sermonis, hic Hebraici callentissimus. Verum prae his aditus in domum familiarior erat Nicolao Ignarrae, qui in Regia studiorum Academia Mazochio successerat, et Serenissimi nostri Principis Iuventutis praeceptoris munere fungebatur, qui haec eius imagini, quam in pluteo habebat, inscripta voluit:

ATTICVS . HIC . SODES . AN . LAELIVS . ANNE . SERAVS
QVI . FIDE . AMICITIA . ET . GRATIA . VTRVMQVE . REFERT

His proxime succedunt Martini ambo, Nicolaus nempe, et Petrus, tum et Felix Sabatellius, mathematici consummatissimi. Cum nemine attamen tanta sibi intercessit necessitudo, quam cum Agnello Vaxallo, Hieronymi F. atque hoc quoque sit Serai bonitatis exemplum, quod cum eo, quem a puero in litterario ludo cognoverat, adeo coniuncte vixit, ut nonnisi Vaxalli morte intercedente intercepta fuerit amicitia. Haud tamen sciam, Neapoline plures sive amicos, sive admiratores, an extra, et in longinquis quibusque regionibus habuerit. Eius enim fama, quum esset undequaque diffusa, quam plurimos exteros doctos in sui admirationem concitavit; quorum ne longam hic instituam seriem, eos tantum memorandos duco, qui in operibus suis Seraum summis prosequuti sunt

laudibus. Horum in numero sunt Joannes Baptista Morgagnius, domo Foro Livii, anatomes Bononiae Professor clarissimus, ac medicinae demum Patavii (1); celeberrimus Gerardus Vanswetenius, magni Boeravii auditor, atque Francisci I. Augusti Imperatoris, et Mariae Theresiae Augustae Imperatricis Archiater; Albertus Hallerus natione Helvetius, Boeravii ac Bernoullii auditor, Regiae Gottingiae societatis, et Academiarum Londinensis, Parisiensis, Berolinensis, atque Bononiensis Socius; Ludovicus Antonius Muratorius, vir rei litterariae publicae bono natus, Mutinensium Ducis Bibliothecae praefectus; Antonius Cocchius, domo Mucello, anatomes, et medicinae professor, et Magni Etruscorum Ducis antiquarius; Joannes Pringlius, natione Britannicus; Antonius Storchius, Swie-

(1) Vide Morgagnium lib. I. de morb. capit. Ep. X. art. 8. *Medicus doctissimus, idemque humanissimus Franciscus Seraus* cet. et lib. III. de morb. ventr. Epist. XLII. artic. 45. *De hoc fuse ad praeclarissimum Seraum pro nobili aegro Neapolitano in medicorum dissidio consulentem respondi* cet. Rursus lib. III. de morb. vent. Epist. XLVIII. art. 42. *Vir clarissimus Franciscus Seraus me per literas Neapoli datas sub finem an.* 1739. *certiorem fecit, indidem excreta fuisse ab alia muliere non ita pridem infantis ossicula* cet. Item lib. IV. de morb. Chirur. Epist. L. artic. 26. *Gavisusque sum, cum prudentem doctumque, si quis alius, Medicum Franciscum Seraum mihi narrantem audivi, haud aliter se gerere solitum* cet. Et lib. IV. de morb. Chirur. Epist. LIX. art. 28. *Haec atque alia, quae ad tarantulam attinent, magis explorata nos habituros speramus, si quando Vir Doctissimus Franciscus Seraus ea poterit, quae de insecto illo inchoata habet, perficere.*

tenii alumnus, Imperatoris Archiater; Antonius Leprottus Benedicti XIV. P. M. Archiater; Augustus Tissotus medicinae Agathopoli professor; Augustinus Giuffrida ex Archiatris Catanensibus, et supremae philosophicae cathedrae professor.

At haec usque ad annum MDCCLXXXIII. obtinuere, quamdiu nimirum Seraus inter nos fuit. Verum senio iam prope confectus, ac assiduis debilitatus laboribus, fractas tandem vires conqueri incoepit. Neque haec ad praenuntianda eius fata suffecissent, nisi superveniens immane rheuma, ut eius vita in summo discrimine versaretur, effecisset. Et quidem brevi temporis spatio, ingravescente faucium morbo (qui quidem ei toto vitae curriculo familiaris fuit) nulla salutis amplius spes, maximo omnium moerore, adfulgebat. Quandoquidem faucibus undequaque inflammatis, quum ne vix quidem deglutiendi facultas esset, postremis Ecclesiae Sacramentis rite susceptis, vitam hanc aerumnosissimam cum immortali commutavit nonis Augusti anni MDCCLXXXIII. Universo porro Academicorum coetu, atque Regii Gymnasii professorum, prosequentibus etiam amicis, elatus est, corpusque in templo montis Virginis, eodemque hypogeo, quo optimus eius amicus Agnellus Vaxallus illatus, conditum fuit; ubi Hieronymus Vaxallus ex Agnelli fratre filius hanc e regione tituli sepulcralis patrui sui Agnelli epigraphen posuit.

FRANCISCO . SERAO

IN . ACAD . NEAP . MEDICINAE . PROFESSORI
PRIMAR.
REGIS . NOSTRI . REGNIQ . ARCHIATRO
PHILOSOPHO . AC . PHILOLOGO
APVD . EXTERAS . ETIAM . NATIONES
PERCELEBRI
VIRO . PROBO . SEDVLO . OBSEQVENTI
ET . AMICITIAE . CVLTORI . DILIGENTISSIMO
QVEM . HIERONYMVS . VAXALLVS
ORDINIS . POPVLIQ . NEAP . A . SECRETIS
NE . AB . AGNELLO . PATRVO . SVO
DISSOCIARETVR
HEIC . IN . EODEM . HYPOGEO . COMPOSVIT
ARBITRIO . TVMVLI . SIBI . AB . HIPPOLYTA
FILIA . VNICA . MOERENTISSIMA . PERMISSO
VIXIT . ANN . LXXX . MENS . X . DIES . XV
DECESSIT . NON . AVG . ANN . CIϽIϽCCLXXXIII
QVIESCITE . PAR . NOBILE . AMICORVM
QVANTVM . AMICITIAE . SIT . DEFERENDVM
POSTERITATI . EXEMPLO . FVTVRI

OPERA EDITA.

Oratio Παραινετικὴ ad Regii Gymnasii alumnos, in solemni studiorum instauratione. Neapoli in 4. 1732. et in opusculis 1766.

Oratio de publicorum Gymnasiorum ad optimam disciplinam utilitate, in anniversaria studiorum instauratione. Neap. in 4. 1733. et in opusc. 1766.

Istoria dell' incendio del Vesuvio accaduto nel mese di Maggio dell' anno 1737. scritta per l' Accademia delle scienze: in 4. Napoli 1738.

Neapolitanae Scientiarum Academiae de Vesuvii conflagratione, quae mense Maii anni 1737. accidit commentarius. Neap. in 4. 1738.

—— Napoli *italice* in 8. 1740.

—— Napoli *latine et italice* in 4. 1778.

—— Histoire du mont Vesuve, avec l'explication des phènomenes qui ont coutume d' accompagner l'embrasemens de cette montagne, le tout traduit de l'Academie des Sciences de Naples *in Gallicam linguam versa a Perron de Castera*: in 12. Parisiis 1741.

Vita Nicolai Cyrilli in Regia Universitate Neapolitana primarii medicinae Professoris, et Regiae Societatis Londinensis Socii. Neap. 1738. in fronte 1. tom. consil. medicor. Nicolai Cyrilli, et in opusculis 1766.

Vindiciae pro Nicolao Cyrillo adversus Lipsiensium responsionem ad virum amplissimum Antonium Leprottum Archiatr. Pontific. Neap. 1738. in calce III. tom. consil. medic. Nic. Cyrilli.

Epistola ad Alexium Symmachum Mazochium Professorem Regium et Metropolitanae Ecclesiae Neapolitanae Canonicum an. 1739. ad calcem libelli Mazochiani de dedicatione sub ascia 1766. in opusculis.

Commentariolum de rebus Alexii Symmachi Mazochii an. 1739. et 1766. in opusculis.

Osservazioni su d' un fenomeno occorso nell' aprire un Cinghiale a 30. Gennajo 1742. Napoli nello stesso anno. Roma appresso i Pagliarini 1745. Napoli 1766. in opusculis.

Descrizione dell' elefante. Nap. 1742. in 4. 1766. in opusculis.

Del discorso di Luigi Visone intorno all' elefante, parte II. che contiene i supplementi e le conseguenze della parte I. e III. 1742. in 4.

Lezioni accademiche della tarantola: in 4. Nap. 1742.

Saggio di considerazioni anatomiche fatte su d' un leone morto in Napoli nel parco del Re a 24. Gennajo 1744. Nap. nello stesso anno in 4. et 1766. in opusculis.

Lettera a Monsignor Antonio Leprotti medico di S. Santità Benedetto XIV. sul contagio della peste. Nap. 1744. et 1766. in opusculis.

Opuscoli di fisica, e di vario argomento. Napoli 1766.

Epistola ad Joannem Brunum de contagione tabifica. Neap. 1757. et 1766. in opusculis.

Osservazioni sulle malattie d' armata in campagna, e in guarnigione, di Giovanni Pringle, tradotte dall' Inglese in volgar toscano da Francesco Serao con prefazione. Nap. 1757.

Schediasma de suffocatis ad vitam revocandis. Neapoli 1766. in opusculis. *Hujus autographum penes me est.*

QUAE ADHUC EDITA NON SUNT.

Epistola ad Martinenyum saluberrimae facultatis Parisiensis Decanum de Medicorum, et Chirurgorum Parisiensium dissensione an. 1749. *Autographum in meis adversariis custoditur.*

Consilia medica latino et italico sermone scripta. *Horum permulta apud me sunt.*

Institutiones medicae.

Epistolae, inscriptiones, et carmina. *Epistolarum et inscriptionum haud exiguus numerus a me servatur.*

COMMENTARIOLVS
DE REBVS
MICH. ARCHANGELI
PATRICELLII (1).

Quinto ab urbe Neapoli lapide secus veteris Atellae ruinas situm est Municipium Fractae Maioris, sive salubritate aeris, sive Civium frequentia, ac industria, inter cetera Campaniae oppida florentissimum. In eo natus est anno MDCLXXXXI. III. Kalendas Octobres Michael Archangelus Patricellius, is quem Aversa Litterarum, bonarumque artium fundatorem agnoscit, eximium Rei Litterariae publicae ornamentum. Parentes habuit honestissimo loco natos Laurentium Patricellium, et Vincentiam Cicatelliam, adprime probos, solertesque. In puero insigne prorsus ingenii specimen, indolisque bonitas praelucebat. Praeceptori traditus, alacri animo litteris vacavit, vitamque procul a puerilibus nugis exegit. Temporis usurae parcus, legendo semper, vel scribendo ita occupabatur, ut nonnisi ad litterarum bonum, et ad

(1) Editus Neapoli typis Raymundianis anno MDCCLXXXVIII.

Patriae gloriam natus vel ea prima aetate videretur. At quum Divinae Providentiae ratio huiusmodi esse videatur, ut ingentium, quae molitur, operum, multo ante fundamenta iaciat, eaque per occultas caussas, et incrementa latentia sensim ad fastigium perducat; rem ita digessit, ut in Aversanae Ecclesiae Cathedra Pontifex sederet Innicus Caracciolus S. R. E. Cardinalis, vir eximia fide, atque ingenti pietate, dignus profecto memoria temporum sempiterna. Is, inquam, quum aliquantisper pro pastorali sua sollicitudine, Fractae Cleri mores compositurus consisteret, factum est, ut Christianae fidei elementa adolescentes Ecclesiasticis castris mancipatos edocens, puerum submissa voce haud eminus verba ingeniosissime iis praeeuntem animadverteret. Praesagio id Sancto Pontifici fuit, tantillum hunc Ecclesiae suae firmissimam fore aliquando columnam. Quare avulsum ab parentibus puerum, secum Aversam illico contulit, quo liberalius inter Seminarii ephebos institueretur. Novam ibi Noster cum Grammaticae operam navare iussus esset, idem illi fuit praeceptorem audire, ac summam omnino ineptientis hominis imperitiam olfacere. Ea enim Aversae per id temporis, nedum in universa pene Campania grassabatur barbaries, ut prope intermortuus latinus sermo videretur, vix humaniores Litterae colerentur, nulla in Scholis frequentia, nullus studiorum cursus, omnia

squalerent (1). Nec animus defuit puero, ut non cum Cardinali ipso, opportunitate data, modestissime conquereretur, quod praeter quisquilias lucro nihil adponeret. Sed sorte accidit, ut dum inauspicato res agitabatur, in Seminarium Joannes Baptista Capassus advenerit, vir summus, latine, et graece callentissimus, quem iamdudum Sanctus Pontifex exquisiverat, ut graeco etiam sermone institueretur iuventus. Is ubi singulorum tentato ingenio, Archangeli acumen perspexisset, atque alacritatem, discendique ardorem incredibilem, totus in eum veluti poliendum incubuit. Atque principio quidem unius Tullii lectioni adolescentem adligavit; mox ut libere, in quibus mallet, sive prorsae, sive versae orationis, Latinis Auctoribus spatiaretur, habenas omnes relaxavit. Ac paullatim ut ad graecam eruditionem, et facundiam praesertim, ardentis Alumni animum

(1) Quanta per hanc aetatem increbuerit barbaries, testatus est Nicolaus Ignarra vir clarissimus in vita Alexii Symmachi Mazochii: *culpa*, inquit, *in saeculi vitio residebat*; *magistri*, *quos utiliter audiret*, *nulli tunc erant.* Et mox: *De qua infelicissima temporum conditione* conqueri Mazochius numquam destitit, et aetate iam provectus, ad barbarici, quae eo tempore grassabatur, specimen narrare solitus erat, se quum rhetoricis operam dabat, audivisse a praeceptore suo palam, confidenterque disserente, Periodum quatuor membris constantem *idcirco* a Rhetoricis dici *tetracolon*, quod sicuti terra in quatuor partes distributa est, sic illa periodus, totidem partibus instructa, *tetracolos*, quasi *terracolos* nuncupata sit. Adeo bonae litterae sine ulla reverentia prostratae iacebant!

degustandam alliceret, nunc aliquo Demosthenis tractu, nunc Homeri centone recitato, sitim illius acuebat. Sed fraeno non stimulis opus. In libertatem enim veluti adsertus, sacratiora universae Archaeologiae penetralia pervasit. Ita brevi, qua studio, qua probatissimis moribus, praeconceptum optimi Cardinalis, quem veri parentis loco reverebatur, iudicium, exspectationemque implevit. Quam ob rem nullam is praeterlabi occasionem passus est, qua non amorem benevolentiamque suam Archangelo contestaretur. Totum enim occupaverat Caraccioli animum cura iuventutis, in qua formanda norat Vir sanctus, maximum ad Ecclesiasticam disciplinam, sive sartam tectam tuendam, sive amplificandam, a Sanctis Patribus, sacrisque Conciliis momentum constitutum. Quo igitur ingentior erat Optimi Cardinalis in Seminarium amor, qui certe ipse amor erat Ecclesiae suae, amor civitatis, amor pagorum, amor omnium ordinum, atque adeo gregis universi, eo ferventius plantam admirabatur, sensim in Seminarii sui commoda virescentem. Hinc adolescentulum saepe ad se vocabat, saepe illo pro anagnoste ad mensam utebatur, saepe secum adcumbere iubebat, et brevi intervallo, ut nova semper illi calcaria adderet, tribus voluit ditatum sacerdotiis. Atque haec tam insignia Cardinalis Caraccioli benevolentiae argumenta in Patricellium effe-

cerunt, ut is tanto alacrius in severiora scientiarum studia Philosophiae potissimum, et Theologiae se coniiceret. In quibus disciplinis quantum profecerit, et quibus adiumentis in tanta praeceptorum inopia, non est cur dicam. Ipse enim saepe dicere auditus est, se vigiliis suis acceptum referre quidquid addidicisset. Profecto satis illi fuit fontes rescivisse; nam meditando, legendo, scriptitando assiduus ardua quaeque superabat, neque ut auditor, sed ut consummatus praeceptor cuivis adstabat.

At vero Capassus, cui iam videbatur ex segetis viriditate messem videre, missionem a Caracciolo non multo post impetravit, vadem se pro Alumno suo praebens, Seminarii campum in ea spe collocatum, quae fallere non poterat. Quare Pontifex, Patricellio arcessito, sic illum non sine lacrymis fatus est: Iamdiu intellexi, probe iuvenis, quid de te Deus statuerit. Tu nosti et animam, et vitam meam in Seminarii incolumitate constitutam, ex quo in amplam hanc Dioecesim huc illuc translatae arbores uberem daturae sunt fructum. Precor, senescentem tu substineas Patrem: Tu in te recipe quidquid est litterariae sollicitudinis, ut pubes sacris muneribus mancipata optimarum artium, scientiarumque institutis excolatur, augeaturque; ego enim in tua fide conquiescam. Magna tunc fuit adstantium omnium com-

motio, cum moratum iuvenem cernerent ad patris sui pedes obvolutum submissa voce obtestari, ne amplius animo angeretur, obtestari simul se, vitamque suam, cogitationes, curas, momenta omnia in eo uno positurum, ut Seminarium in nova luce poneretur, neque alio praemio, nisi eo tantum ut patrem et pastorem suum laetum videret. Hinc divina ope implorata, et Sancti Pontificis orationibus adiutus, magnum adgreditur opus, litterarum nempe restaurationem, vel ut potius dicam fundationem. Testimonio enim omnium sincerissimo utor, Francisci Serai Philosophi, ac litteratorum nostri temporis facile principis, qui marmoreo in monumento futurae posteritati tradidit, *Michaelem Archangelum Patricellium Aversanorum famam, cultumque ornasse, ac politiores litteras in Clericorum Seminarium novo arduoque molimine auspicato intulisse*. Porro vix credibile est quibus initiis, et quo cursu tanta adsurrexerit moles. Ab imis fundamentis res coepta. Ipse namque per sese grammatico ludo praeesse haud gravatus est, atque ineptissimae methodi (quam vel commemorare tantum pudet) usu valere statim iusso, novam linguae Latinae institutionem, quae gallico sermone prostabat, in patrium vertit (quam provinciam per idem ferme tempus suscepit, ornavitque Carolus Maiellius Emissenorum Archiepiscopus), ac edocere primus ipse in-

coepit. Mox adolescentibus methodo saniori adcommodatis, alacriorem biennio exacto ex discipulis suis ei tirocinio praefecit. Ipse interea ad humaniores litteras edocendas se e vestigio convertit, ac quos in grammaticali ludo instituerat, alio secum transtulit, ut latino, graecoque sermone, ac eruditionibus plenissime informarentur. Atque alteram hanc spartam quum diu curasset, praestantissimo ex auditoribus suis illam demandavit. Is fuit acceptissimus ille discipulus, atque omni vitae tempore in labore socius, Hieronymus Seraus, Francisci frater, vir consummatae virtutis, et in omni genere litterarum ad miraculum versatissimus, cui tantum Aversa debet, quantum praeter praeceptorem suum nemini. Delicatiori Cathedrae quum delicatissime consuluisset Patricellius, statim oratoriae artis, ac poetices, qui vere fundus suus erat, magister sedit. Atque per hos gradus identidem litterae caput extulerant Aversae, et brevi ad tantam gloriae sublimitatem adsurrexerunt.

Tanti Viri fama, qui iacentia ac paene mortua litterarum studia squalore deterso ab tenebris evocaverat, universam Campaniam, nec non conterminas invasit provincias; et Civitas, veluti alterae Athenae, omnium ore celebrabatur. Exsultabat ex altera parte Sanctus Pontifex Cardinalis Caracciolus, quod Alumnos suos in gentem ma-

gnam fecerit Dominus, quum iam centena censerentur capita, quae vix viginti initio erant. Sed indolebat, atque prope angebatur ex altera, moleste ferens, ob aedium angustiam incommodius cum Alumnis suis agi. Quae enim a praedecessore suo Petro Ursino anno MDCXCIV. in clericorum domicilium erant adsignatae, omnino impares erant. Quid, quod nullatenus pati poterat Seminarii a Cathedrali basilica, tum ab Episcopali tecto distantiam? Quamobrem alterius excitandae domus consilium iniit, quam quanta est magnificentia adgressus, tanta est alacritate prosequutus; nec sibi satis consultum arbitratus est, nisi quum prorsus omnino Alumnis suis, consummato opere consuluisset anno MDCCXXVI. Adhuc reliquum unum videbatur inexplebili caritati Innici Cardinalis, ut recta vivendi regula collegii convictoribus proponeretur. Pensum id in Patricellium, cuius acre ingenium, miramque in arduis quibusque negotiis expediundis conficiendisque dexteritatem norat, coniecit; quod ea sedulitate haud longo intervallo absolvit, ut nulla fere sit nostra aetate tam longinqua natio, quae Aversanos Seminarii Canones non sibi adripuerit. Cuius rei argumento est quod vix ea constitutio in lucem emissa (Neapoli MDCCXXVII. typis Januarii Mutii), statim gallico prodierit sermone, mox Germanico.

Impigrum hominem, qui tot voraverat pro

Seminario vigilias, et labores, ut remuneraretur Caracciolus, quum primum anno MDCCXXIX. vacaverit praebenda in Cathedralis Ecclesiae Capitulo, Canonicum summo universae Civitatis, ac Dioecesis plausu renunciavit; ea tamen conditione, ne Studiorum praefecturam, et Oratoriae facultatis Cathedram, in qua demum veluti in suo constiterat centro, umquam linqueret. Quam sane Patricellius ad multam aetatem ea nominis fama ornavit, ut nihil supra. Concursabant illuc unde unde viri illustres, ac saepenumero in Episcopalem Curiam, quae in proximo erat, confluebant, ut eloquentissimi viri facundia bearentur. Atque ipsemet Sanctus Cardinalis tanta licet curarum rerumque varietate distentus, vix continere se poterat, quin illum quam frequentissime conveniret docentem; nec passus umquam est, ut qui litterati homines Roma Neapolim peterent, abirent aliquando, nisi suo prius audito Patricellio. Dicam enim quod uno ore omnes mihi contestati sunt: Subactae virtutis Pontifex, tametsi pro ea qua apud omnes commendabatur modestia, haudquaquam de re ulla gloriari visus est, de hoc uno tamen libere sibi, ac late plaudebat. Quod sane nemo mirabitur, modo in eam venerit opinionem, longa aetate, ac communi, et constanti universae Dioecesis fama confirmatam, Virum hunc quidquid humaniorum est litterarum, quidquid eruditionis est, elegan-

tiaeque, quidquid Graeci sermonis, Latini, et Hebraici, quidquid demum ceterarum est disciplinarum, omne in numerato habuisse. His accedebat, quod tantam in dicendo suavitatem spirabat, ut Joannes Baptista Vicus, eximius in Regia Universitate Neapolitana oratoriae artis professor, saepissime in publicis praelectionibus auditores suos monere soleret, Oratorum neminem in Italia cum Michaele Archangelo Patricellio contendere posse. Quod idem de eo praedicare haud destitit Nicolaus Capassus, acerrimi vir iudicii.

Par erat Alexii Symmachi Mazochii, litteratissimi hominis, de Patricellio nostro existimatio. Is iam diu Patricellii fama percitus, maximo virum facie cognoscendi desiderio flagrabat. Quam ob rem quum per id tempus ea conventione a Caracciolo Campanorum Archiepiscopo oblatum adiisset Canonicatum, ut tempus ab officii munere vacuum Neapoli traduceret, opportunitatem Patricellium audiendi nactus est. Nam Capua Neapolim aliquando petiturus, medio itinere Aversae in Seminario constitit, ubi Patricellium illa forte hora docere commonefactus, ad Cathedram advolavit: sed modestissimus vir prae foribus adstare, quam scholam subintrare maluit. Re cognita, Patricellius, qui tamen virum numquam viderat, statim illi accessum dedit. Tunc Mazochius in Patricellii ora intendens, tanta est superfusus voluptate, ut

dicendi per[illegible] exacto, e vestigio caput deosculatus sit, quod officium et Campano homini Noster reddidit; et quum sese coram primo cognovissent, qui nomine et amore se plurimi antehac faciebant, incredibile dictu est, quot inter se crudita miscere colloquia, quibus amicitiae verbis benevolentiam contestari, quibusve mutuis pollicitationibus aeternam litterarum foederationem inter se se ferire gestiverint. Profecto nisi deliberato Mazochius Neapolim cogitasset, in variis litterarum argumentis Litterati utrique homines multum transegissent. Noster tamen enixe cum obtestatus est, ut Neapoli Capuam ultro citroque commeaturus, aliquantisper ad Seminarium diverteret, quo facilius colloquendi copia daretur. Fidem suam obligavit Mazochius, ac diu praestitit, donec Campano Canonicatu ultro resignato, per Cardinalem Spinellium Neapolitanorum Pontificem in urbe principe constitit, quo tempore arctioribus vinculis est obfirmata necessitudo.

His ita se habentibus anno MDCCXXX. Caraccioli mors intercessit, quae Civitatem, Dioecesim, ordines omnes, atque in primis Seminarium incredibili luctu consternavit. Romana Sedes, Benedicto XIII. vita functo, quartum iam mensem orbitate, luctuque, et magna rerum turbatione contabescebat. Quam ob rem longo itineri Sanctus senex se committere haud recusavit, ut si quas

in alma Urbe suppetias ferre laboranti Ecclesiae posset, experiretur. Quum autem omnia ad discessionem adparasset, Patricellium rursus atque iterum arcessivit, multumque cum eo de re sua egit, de Seminario inquam. Atque ipso profectionis die, postquam in Lauretanae Virginis interiori ara sacris esset operatus, recta in Seminarium contendit, vale dicturus carissimis suis. Ibi omnes quum in officio firmasset, atque ad fidem, adsiduitatemque esset hortatus, ad Patricellium conversus inquit: *ipse a me me divelli nunc, atque distrahi videor*; *sed me necessitas urget.* Atque haec postrema fuere amantissimi Patris verba. Romae enim quum diutius Pontificis maximi electio esset protracta, gravi acerboque morbo correptus VIII. Idus Septembres mortalitatem cum immortalitate commutavit.

Quam multa autem, et insignia illi in omnem aeternitatem laudando Pontifici Aversana debeat Dioecesis, vel ex epicediis, quae eius memoriae ab Seminarii alumnis persoluta sunt pridie Non. Novembres MDCCXXX. (edita Neapoli ex typographia Felicis Muscae anno MDCCXXXI.) abunde quisquis vel intelligere, vel argumentari saltem poterit. Sane enim incredibile prope videtur, ad id gloriae fastigium, eo abeunte, fuisse perductas litteras, quae eo primum adventante penitus squalebant, vel ut verius dicam, prorsus exulabant.

Videat istarum rerum vel rigidissimus exactor, an ea oratione quid umquam magnificentius excudi possit, quam a Hieronymo Serao currenti pene calamo elucubratam scimus; an limatius quid, sapidiusque contendere cum illis cupediis queat, cum Elegis nempe, Epigrammatis, Hendecasyllabis, ceterisque sive latine, sive graece, sive italice fusis Carminibus. Quae sane Patricellius Clementi XII. Pontifici Maximo merito voluit dicata, ut ex eius epistola Seminarii nomine ad eumdem Pontificem missa.

Sane vero quum omnem caritatem, et beneficentiam, largitatemque suam in hoc sacrum iuventutis domicilium pene exhausisset Cardinalis Caracciolus, id molesto animo omnes ferebant, quod nullum ad postfuturam aetatem, praeter ipsarunimet aedium mutam praedicationem, positum esset monumentum. Dum enim in vivis agebat modestissimus Pontifex, ne cogitari quidem de eo quidquam poterat. Sed quod vivus aversatus est, mortuo id solutum est et grati animi, et memoriae debitum. Lapis positus est opportunissimo loco introrsum, cui praeclara haec Patricellius inscripsit.

INNICO CARDINALI CARACCIOLO
QVOD HAS AEDES PIETATI, ET MVSIS SACRAS
LECTAE IVVENTVTI AVERSANAE ECCLESIAE
SPEI
A FVNDAMENTIS EXCITAVIT
ET FATO CONCEDENS TANTVM NON ABSOLVIT
SEMINARIVM
VT TANTI OPERIS GRATIA EXTARET
PONTIFICI BENEMERENTISSIMO
MONVMENTVM P.

Caracciolo mortuo, Josephus Cardinalis Firraus Nicaenorum Archiepiscopus, a Clemente XII. Pontifice Maximo Aversanorum Episcopus eodem anno MDCCXXX. est renuntiatus. Cui quidem ab ipso Pontificatus sui exordio id in more fuit, ut nihil unquam nisi consulto prius Patricellio decerneret; nec in iis tantum, quae ad Ecclesiam regundam pertinebant, sed in quibusque maximi momenti negotiis. Ex quo factum, ut Romam profecturus anno MDCCXXXIII. uni Patricellio studiorum, morumque Cleri tum in Seminario, tum in Dioecesi, nec non universae Episcopalis administrationis curam demandaverit. Quam ut facilius sustineret, vacationem illi a choro impetravit a Pontifice Maximo. Ex innumeris vero Firrai epistolis Roma datis, quae domi servantur, adprime patet, quem honoris, existimationisque locum apud ipsum teneret. Haud multa tamen, quae hic dicam, habeo tum de optimi Cardinalis rebus, qui regiminis vix exacto quinquennio Ecclesiam ultro resignavit, tum de Michaele Hercule Aragonio, qui quo anno Firrao successit, eo ipso vivere desiit. Ad Nicolaum Spinellium itaque venio, qui et eo ipso anno tertius Pontifex Aversanam Cathedram conscendit. Is quum adhuc Romae consisteret, unum Patricellium sibi veluti coadiutorem delegit, cuius famam in Vrbe Principe maxime constare apud omnes animadverteret. Ni-

hil ipse vel inconsulto, vel inscio Patricellio gessit, numquam non eius iudicio adquievit, nihil vel eo adfirmante negare, vel eo negante adfirmare consuevit. Quare tam prospere ac feliciter res successerunt, ut Spinellianum aevum adhuc in ore omnium habeatur.

Sed quandoquidem studia, et prisci mores in Seminario aliquantulum elanguescere videbantur, id amplius accessit, ut ad impendentes ruinas avertendas adcurreret. Animo enim reputans dignissimus Pontifex frustra omnia esse, nisi summam rerum in summum virum coniiceret, humanitate ac amicitia devicit, qui numquam se vinci neque prece, neque imperio passus esset. Succollavit et hanc sibi sarcinam laboris patiens homo, atque statim eo moderatore tota Seminarii facies immutata. Nam laborare illum in primis cerneres, tum periclitari, instare, experiri omnia. Summo mane e lecto surgebat, frequens et insperato in conclavia ventitabat, scholas obibat, modo studiorum rationem reposcebat, modo de auditorum solertia praeceptores interrogabat, modo ipse nunc hic, nunc illic magister sedebat. Saepe iuvenes veluti ad calculos vocabat, et quas quisque fecisset in re litteraria progressiones, diligenti examine explorabat. Profecto numquam conquievit, tametsi incensissimo effecisset studio, ut nihil quidpiam amplius ad summam Seminarii

gloriam reliquum esset. Vades huius rei locuplétissimos exhibeo, illius aetatis Ephebos, qui huc illuc sparsi rem litterariam publicam nobilitarunt. Postremi, qui mea prope tempora adtigerunt, a quibus et permulta accepi, quae scribo, sunt Paullus Moccia, Emmanuel Campolongus, Dominicus Miliaceus, Johannes Spena, Liborius de Ambrosio, Vincentius Pescius, Antonius Pagnanus, Vincentius Lupoli. Mitto hic tot insignes Ecclesiarum Curiones, ac praeclaros presbyteros, quorum cura universa inclaruit Dioecesis.

Quo vehementius vero litterarum urgebat studia, eo accuratius cum excolendae Christianae pietati, tum fovendae vacabat, ut una iuvenes sanis doctrinis, et sanctis moribus imbuerentur. Atque id perpetuo mihi seniores repetunt, quod nihil tanta aviditate expectabant alumni, et praeceptores, quam ut Sabbatum adpropinquaret, quo die Παραινετικην orationem ad adolescentes in Sacellum ad id convocatos habere sollemne illi erat: qua oratione eloquentiam ipsam ita vincere videbatur, ut eloquentia eloquentior ab omnibus diceretur. Aetate tamen paullatim declinante, quum a Spinellio missionem nullatenus impetrare potuerit, Josephum Lupulum Margaritae sororis filium, atque Laurentii patris mei germanum adcitum voluit, qui et levamento ei foret, et una humaniores edoceret litteras. Quam provinciam eo successu aman-

tissimus patruus gessit, et nonnisi ingens sui desiderium Aversae reliquerit, domum, decennio exacto, reversus.

Heic interea anno MDCCXLVI. Kalendis Juniis Annae Beatricis Caraphae, optimi Aversanorum Episcopi matris, mors sequuta est. Ut igitur, quod reliquum erat, Matri pientissimae, officium persolveret, anniversarium obitus diem in Cathedrali Ecclesia Aversana solemni funeris adparatione celebrandum curavit, voluitque, ut is felicitati illius accederet cumulus, orator eloquentissimus. Laudationem itaque Patricellius Archidiaconi dignitate auctus recitavit vertente anno pridie Kalendas Junias, ac vix dici potest quanta doctissimorum hominum frequentia, ex universa pene Campaniae Provincia. Namque eo in primis Academia Neapolitana confluxit; Coelestinus Gallianus Thessalonicensium Archiepiscopus, Regio Sacello, Regiaeque studiorum Universitati praefectus, in omni litterarum genere versatus; Symmachus Mazochius, qui symbolam suam nobilitando funeri contulerat, Epigrammata nempe temporario Mausoleo inscripta; Nicolaus Capassus, Josephus Paschalis Cyrillus, Xaverius Pansutus, Joannes Baptista Vicus; et quid ceteros memorem viros summos, atque bene de re litteraria publica Neapolitana meritissimos? Qui inter communes Civium, convenarumque plausus Patricellio

e rostris descendenti iterum iterumque publice, ut Italicorum oratorum Principi, adclamarunt.

Quanti praeterea Spinellius hominem fecerit, ex eo uno intelliges, quod numquam a se eum abesse permiserit. Quum vero Episcopus quotannis Nivanum prope Grumum diverteret, ut in ea Dioecesis parte, quae salubrioris est coeli, animum aliquantisper recrearet, quotidie eum consulere in more habuit, ut ex litteris patet, quae penes me sunt. Immo Romam per id tempus cogitans, ne se a Patricellio divelleret, secum illum contulit, ubi tantam existimationem apud Spinellii Avunculum Cardinalem Carapham nactus est, ut si Episcopus aliquid a Cardinali peteret, haud facilius umquam, nisi per Patricellium consequeretur. Rem mihi plerique testati sunt, atque litterae ipsiusmet Cardinalis ad Nostrum datae satis edocent. Verum haud multo post, quum Aversam rediissent, morbo satis obscuro correptus Spinellius, dum ad dignitates properabat, non sine universae dioecesis consternatione paucis horis mortalitatem cum immortalitate commutavit. Cum optimo parente orbatus esset Patricellius, illud reliquum erat, ut et ipse ad sua curreret fata. Verum de hoc inferne. Spinellio vita functo, successit Joannes Baptista Caracciolus, vir clarissimus, qui plura scripsit in re mathematica. Is adhuc absens malignis etsi quorumdam sermonibus dignam Pa-

tricellio opinionem animo minime praecepisset suo, Ecclesiae tamen regendae admotus, illum sibi pastoralis sollicitudinis consortem voluit.

Videamus nunc, quae scripta eximius homo elucubrarit. Verum qui tam multos eius labores ac curas intellexerit, certe id sciscitari non audebit. Praeter enim propria munia, quam plurima etiam illi a cunctis fere Campaniae Episcopis, et non raro a longinquioribus ingruebant negotia, quibus certe haud suffecisset, nisi a summa temporis parsimonia usuram ad aliena exegisset. Nec nisi pro re nata paucula scripsit, quae singula quidem minuta videntur, sed in unum tamen fascem collecta amplum volumen efficerent. Primum locum tenent orationes latinae eleganti stylo scriptae, quarum unam coram Innico Cardinali Caracciolo Aversanorum Episcopo, et P. Deodato Augustinianeae familiae Ministro Generali in Seminario anno MDCCXXII. ipse habuit; alias alii recitarunt. Sequuntur Inscriptiones in temporariis mausoleis, in lapidibus sepulcrorum, et in locis publicis positae, quae quidem auream omnino redolent aetatem. Harum eae tantum editae sunt, quae positae fuerunt in funeris adparatione pro Francisco Maria Spinellio, Scalae Principe, Nicolai Aversanorum Episcopi fratre. His adcensendae sunt epistolae latinae, quarum maxima pars periit, eaeque praesertim, quas Episcoporum no-

mine scripsit. Quarto loco orationes Italicae veniunt, admodum elegantes, tum et ingens pene Italicarum epistolarum numerus, quae eruditione, salibus, et stylo ab omnibus commendantur. Has Vir clarissimus ad summos viros scripsit tum Neapolim ad Alexium Symmachum Mazochium, Franciscum Seraum, Josephum Aurelium de Januario, Faustinam Pignatelliam, tum ad exteros viros Jacobum Facciolatum, Franciscum Zanottum, aliosque quamplurimos. Praeterea scripsit etiam multa, quae Episcoporum nomine circumferuntur, veluti epistolas encyclicas, et praefationes nonnullas. Quae quidem omnia versatile prorsus hominis ingenium, ac multiplicem eruditionem ostendunt. Plura certe elucubrare poterat, qui multorum opera limavit, sed nimis sibi et suae famae verebatur, immo et aliis quoque auctor erat, ne ita facile suos in lucem emitterent partus. Nolo tamen, quaecumque in scriptis reliquit sive serio, sive ioco fusa, caecis oculis vulgare, quam rem ego magnorum virorum existimationi saepe fatalem animadverti.

Praeter ea, quae diximus et Philippicam amice scripsit in Alexium Symmachum Mazochium, ut par ei referret, qui, tametsi iocosam, paulo ante in eum extuderat satyram. Attamen Mazochium Patricellius primum instigavit. Quum enim Neapolim venisset, apud Mazochium divertit,

quem in choro illa hora esse a servis monitus, gramineos fasces equorum pabulo destinatos per universam domum sparsit. Interim ad Seraum confugit. Mazochius Ecclesiastici officii penso absoluto, ubi domum reversus dietam, cunctasque aedes graminibus sparsas stabuli instar vidit, idque per servos ab Archidiacono Aversano factum rescivit, risit quidem, non tamen voluit, ut impune hac re abiret Patricellius. Statim igitur stylum suum in Paterculum (sic enim Patricellium nominat) acuit. Atque carmen in tom. II. Mazochianorum opusculorum anno MDCCLXXV. prodiit.

Sed quando huc devenimus, non abs re erit lusum alterum, litteratamque litteratorum hominum concertationem heic commemorare. Forte Mazochio aliud quandoque mente volventi contigerat pro saccharo sibimet salem caffeo admiscere. Ecquid cachinnorum hinc non inter adstantes amicos enatum? Ceteris autem foris saltem prudentibus, unus omnium rem faceto sane carmine in vulgus emisit Antonius Morlandus Patricellii auditor Graece, et Latine doctissimus, qui Mazochio et ipse quam familiarissime utebatur. Commissum aegre tulit Mazochius, atque animo vehementer angebatur, non ea tantum de causa, quia in suis summis ac propemodum incredibilibus occupationibus Hipponacteo, ut ita dicam, Antonii Morlandi praeconio respondere cogebatur, sed quod

fabula de salsa potione, quam temere sorbuerat, per compita non sine hominum irrisione manaret. Nescio quo pacto factum inter haec, ut Patricellius Neapolim profectus tempestive eum convenerit. Cui vir simplex rem totam sincera fide, atque etiam animi molestiam, qua non leviter afficiebatur, patefecit. Miserescebat hunc non Mazochianae tristitiae magis, quam Morlandiani sceleris, novisque alloquiis quibus abundanter adfluebat, et non ex vulgari locutione sumptis, amicum solabatur. Domum at reversus, alienatos amicorum animos simulans conciliare, Horatiana epistola Antonium rimarum plenum obiurgat. Verum dum Mazochii partibus studet, converso subinde calamo peditem Mazochium ore caballum increpitantem, flagelloque usque urgentem graphice describens, ita non inficete iocatur, ut risu pene quisquis legerit, emori videatur. Hinc Alexium hortatur, ne suum acuat stylum, Antoniumque bello lacessat, quod non ei bene cessurum minatur. Quievit Mazochius, tacuitque; sed detruncata epistola, partem eam, qua non illepide vapulat, Antonio misit, ut non suis ipse, sed Patricellii praeceptoris verbis respondisse videretur. Ex quo fit, ut manca in Mazochianis opusculis ea legatur epistola. Collector enim eruditus homo Caietanus Migliorius, quum curtam veluti satyram Mazochianum stylum redolentem, ipsiusmet manu

exaratam reperisset, illi adscribendam potius iudicavit. Sed integram ego, atque auctori suo restitutam heic apponam, rem gratam doctis facturus.

Sat fuit, Antoni, toto me carminis orbe
A summo ad calcem sale perfricuisse, et aceto,
Aut si quid porro est aliud mordacius istis.
Illud non potui patienter ferre, quod illa
De salso in vulgus manarit fabula Casse.
Eheu quid volui misero mihi, quando tuis sum
Auriculis ausus non fidis tradere tantum
Dedecus! En umquam, rimarum o plene (Terenti
Nam de te id quondam comoedia nota locuta est)
Perfluere hac atque illac desinis? Anne quod usquam est
Commissum verbum potin' haud differre? necesse est
Quem, credo, rumpi, ac medium crepuisse, nisi usque
Garriat ad streperam dicenda, tacendaque ravim.
Erubui, fateor (nosti mihi quantus in ore
Sit pudor, intacta maior quam in virgine), at inquam,
Erubui, et totus madui sudore, legebam
Cum cantata tuo in sermone domestica probra
Mazochiana. Recantaris quae ni modo amicus,
Debes ludibrium mihi, debes atque poetis,
Qui mihi quantavis operam mercede locarint;
Prodere ut absistat commissa Antonius ille,
Qui perlucidior vitro est, et haberier optat:
Hactenus ac sibi ridet in hoc, ut pignore saepe
Certarit victor cum liberioribus? esto; at

Audiat egregii vir tandem altique silenti,
Quid tum, Mazochi, non si vel mille ducentum
Nigra poetarum veniat manus, auxilio quae
Sit tibi, mi claudam praecordia, quando tuae res
Dent nostris argumentum sermonibus: illis
Nam quid repperias usquam conditius, etsi
Omnes certatim charites, veneres, et amici
In nostris ludant conventibus atque iocentur?
Certe ego ab immodico risu pulmonibus, atque
Cordi adeo timeo, cum festivissima imago
Mazochii peditis se se offert, voce caballum
Increpitantis eo pacto atque urgentis eum, quo
Sollicitat tortum quatiens de more flagellum,
Cisio ubi vehitur lentissimus. Hoc, bone Alexi,
Audito, nonne insuetos risusque, cachinnosque
Ipse Heraclitus lacrymosus tolleret? Atqui
Nullus amicorum male te sic risit eo unquam
Nomine: mirantur potius quin, crede, stupentque
Tantum adeo in rerum penitissima mentem animumque
Abditum, et immemorem iam cetera. Fallere tempus
Scilicet his satis est subcisivum genere isto
Mazochianarum rerum lepidissimo, ubique
Incolumi fama virtutis Mazochianae;
Haec habui, quae pro sancto tibi nomine, Alexi,
Scriberem amicitiae. Quid tu? Si forte quieris
His, recte est; sin, quod vereor, magis ardeat ira,
Jam peiore vide, ne sanna dicier ista
Incipiant tandem, et sale largius omnia nigro
Dictaque factaque ridicula aspergantur ad unum.

Philippica vero, quam omnium elegantissimam multi adhuc praedicant, deperiit, nec unquam mihi datum inter Patricellii chartas invenire. Porro etsi, quae supersunt scripta, praeclara sint, haud tamen huiusmodi censeo, ut summum existimationis gradum, quem in re litteraria publica Noster merito occupavit, prorsus patefaciant. Communi enim consensu ita eloquens erat, ut nemo eloquentior, ita sapiens, ut nemo sapientior. Quo factum, ut numquam exteri litterati, qui nostrates cognituri huc venerant, discedere solerent, nisi inter primos Patricellium convenissent. Quod aperte innuunt, ut cetera testimonia mittam, Francisci Serai frequentissimae litterae hanc ob rem ad Nostrum datae. Immo fama apud omnes est, exterorum quamplures dicere solitos se longe supra opinionem Patricellium experimento novisse doctiorem. Praeterea id in eo singulare fuit, quod numquam familiariter, nisi erudite simul loqueretur; ex quo potissimum summa illi accessit existimatio. Testes huiusce rei producam, qui familiaritate, et gratia cum eo coniuncti, assidue ipsimet aderant, Ferdinandus nempe Fabotius, Antonius Pagnanus, Liborius de Ambrosio, par Vincentiorum Moccia, et Pescius, omnes deinde Aversanae Ecclesiae Canonici; nec non et Vincentius Lupulus, quem Mazochio suo commendatum voluit, quique postea Theologus Ci-

vitatis Neapolitanae doctis inclaruit scriptis. In docendo vero ita facundus fuit, ut merito fuerit Tullii nomine tum a Mazochio, tum ab Angelo Cardinali Quirino salutatus. Nec errasse postremum prope ex discipulis suis credam, nunc humaniorum litterarum in Regia Neapolitana Vniversitate antecessorem Emmanuelem Campolongum, qui scripsit, Patricellium vere Ciceronem exstitisse, oris etiam similitudine. Parem facundiam in suis orationibus praetulit, quam ob rem summus orator semper habitus fuit, et dignus exstitit, qui sic a Nicolao Recco Poeta elegantissimo celebraretur.

Stat geminus Michael: linguae hic, vi fulminis ille
Monstra fugat: terris hic tonat, ille polo.

Et alibi:

Romuleis alii debent sua nomina Rostris,
Romuleum debent haec tibi rostra decus.

Quod vero huc pertinet, illud praecipue de eo audivi, quod Italicam orationem in Divi Dominici laudem Neapoli habens in eius maiori templo, omnem omnino eloquentiae artem explicuerit, universa auditorum (quos nemo unquam tales nactus est) cavea plaudente. Illuc enim confluxerant Regiae studiorum Vniversitatis professores, Regiae Academiae Socii, nec non singuli, universique, qui tunc temporis Neapoli litterato-

rum fama florebant. Praetereo tamen extemporalem eius in dicendo venustatem, et adfluentiam. Adhuc enim adolescens ad mediam usque aetatem raro paratus illustriores frequentiorum Ecclesiarum cathedras conscendit. Iam vero in iuris scientia peritissimus fuit: item Historiae callentissimus, Philosophus consummatae experientiae, et in theologicis rebus nemini secundus. Ligata oratione vix pauca scripsit; immo in Staterae Porticus Academiam cooptatus (cuius praecipuum institutum erat, neminem, nisi in arte poetica clarum adsciscere) Academicis amicis Josepho Aurelio de Januario, Jacobo Castellio, Januario Parrino, Philippis ambobus Giuntio et Pirellio, Antonio Menabae, se nunquam poetam extitisse significavit. Sed hoc tanti viri modestiae tribuerunt, a quo probe norant poesim didicisse Antonium Morlandum, Paullum Mocciam, Hieronymum Seraum, aliosque magni deinde nominis discipulos.

Quemadmodum doctrina, ita et morum honestamentis eluxit, ut difficile quis iudicaret, utra in eo virtus potior morum, an scientiae. Gravitatem semper exhibuit raram: ipsa etenim Patricelliani oris species, habitus, incessus, cuncta denique ad tantam composita erant dignitatem, ut in exteriori quoque adparatu virtutis simulacrum videretur. Gravitati summam humanitatem, et prisci candoris ornamenta perbelle ita coniun-

xit, ut ab omnibus vel etiam invitis observantiam exegerit. Cunctos comiter excipiebat; et si quis ab eo quidpiam sibi, aliisve postularet, vel dabat hilare, verbis etiam munus exornans; vel si forte negaret aliquando, caussas eiusmodi in medium adferebat, quibus omnino erat adquiescendum; ac tanta tum erat in suadendo vis et suavitas, ut ni quod optabant, impetrassent, rationibus prorsus victi ac pacati abirent, perinde ac ipsi consilium mutasse viderentur. Modestiam semper singularissimam retinuit, ut ad se, quotiescumque in publicum prodiret, omnium oculos converteret. Mendacium abhorruit, nec pati potuit, sincerus semper veri amator. Secundae fortunae blandimentis numquam elatus, adversae impetu non fractus, animo fuit semper ita praesenti, ut numquam a naturae statu, vel a gravitate declinaverit. Fastus et imperiosi moris speciem omnem aversatus est. De se ipso, deque suis rebus, nisi necessitas urgeret, nihil fari solebat. Ab alienis vero factis dictisque disquirendis, nisi ad suam curam ex officio spectarent, omnino abstinebat. Male nemini umquam dixit, obtrectationis quam maxime inimicus. Omnes qua potuit opera adiuvit, communicipes potissimum suos, quos non tantum diligebat, sed et amabat. Beneficiorum, quae impenderat, numquam meminit. Cum nemine in gratiam redivit, qui neminem vel leviuscule lae-

serat, nec inimicitias cum quopiam gesserat. Si a quo iniuriam accepisset, quum ulcisci posset, non tantum oblivisci maluit, sed efficaci studio, amore, ac favore propulsavit: tanto nimirum studio Redemptoris nostri vestigiis inherere satagebat, qui etiam pro suis persecutoribus orare non dubitavit! Aequitatem et iustitiam ita servavit, ut in utraque constans continuo fuerit, praesertim quamdiu Seminarii moderator extitit, et Episcopi vices Aversae sustinuit. Ab ambitione alienus fuit, utpote qui sponte meliorem fortunam aversatus Aversae delitescebat. Res omnibus innotuit Spinellii aetate. Multa Spinellius cum Avunculo Cardinali Carapha Romae egerat, quo ad Episcopatum is eveheretur. Re cognita, tantum is a Spinellio abfuit, donec sponsionem ab eo impetravit, nihil posthac eam ob rem moliturum. Cum omnibus pari comitate, et facilitate semper se gessit, ac etiam cum discipulis suis: inter quos Hieronymus Seraus, Dominicus Planesius Julianensis, qui anno MDCCLVIII. methodum verae Religionis cognoscendae Romae edidit, et Hieronymus Bencivenghius Nivanensis, Cathedralis Ecclesiae Aversanae Canonici; item Paullus Moccia in Regio Neapolitano ephebeo eloquentiae professor, Nicolaus Ambrosius in humanis, sacrisque litteris adprime versatissimus, Antonius Morlandus, Domi-

nicus Miliaceus, aliique quamplurimi, qui vel etiam in dignitate constituti sic illum reverebantur, ut benemorati parentes liberi. Virtute, atque ea, quae virtutem sequitur, laude, honesto viro digna, nihil ei potius et carius fuit. In publicis negotiis, si quando illis necessitas implicaverit, ita versatus est, ut ab optimis semper partibus steterit. Opes neque invidit, neque sectatus est; quibus tamen in levanda multorum inopia usus est. Cunctis indulsit, numquam sibi. De quotidiano cultu, ac vivendi consuetudine nihil senex etiam mutavit; tantaque usus est moderatione, ut longo vitae spatio semel quotidie cibum sumeret. In colloqeundo praeter familiaritatem, eloquentiam, orisque suavitatem, ita eius sermo salibus plerumque atticis redundabat, ut uno eodemque tempore mirifice doceret, et delectaret. Consilio quum plurimum valeret, omnibus adfuit, potissimum Episcopis, quorum plerique nihil expediendum, conficiendumque suscipere in more habuerunt, nisi consulto ante per epistolas Patricellio; cuiusmodi sexcentae prope supersunt. Fuit hanc ob rem Benedicto XIII. quam maxime acceptus, quippe qui quum sederet Beneventanorum Archiepiscopus, non una vice Nostrum de rebus sat arduis consuluit. Demum quae ad Religionem, et Christiani hominis officia pertinent, ea sedulitate, quo cum cumque studia

vel curae traherent, ad extremum usque vitae curavit, ut quae sententia quorumdam animis insederat, maximae nempe esse difficultatis ingenium divinarum, et humanarum rerum contemplatione simul exercere, eam penitus exemplo suo everterit.

Certe omnigena eius doctrina, ingenium versatile, anini celsitudo, consilii dexteritas, in primis vero mores innocentissimi effecerunt, ut nemo unus esset ex litteratis viris, et quidem praeclarissimis tum Neapoli, tum in longinquis regionibus, qui amicitiae foedere non illi fuerit iunctus. Inter primos fuit Alexius Symmachus Mazochius Metropolitanae Ecclesiae Neapolitanae Canonicus, et in Regia studiorum Vniversitate Sacrae Scripturae interpres, Franciscus Seraus FERDINANDI Siciliarum Regis Archiater, et Regius Medicinae professor (cuius et vitam a me anno MDCCLXXXIV. conscriptam per eruditissimum Franciscum Danielem Cl. Fabronius expetiit, et Pisis inter vitas Italorum doctrina excellentium brevi est pervulgaturus); quibus familiarissime adeo Noster usus est, ut non immerito eos fratres putasses. His in amicitia proxime succedit Faustina Pignatellia summa eius temporis Mathematica non sine eruditionis ornamento, digna profecto quae a Mazochio laudato viro laudaretur in *Epist. de dedic. sub Ascia*; atque huius permultas habeo litteras ad Nostrum

datas. Hinc sequuntur Carolus Maiellus Emissenorum Archiepiscopus, eiusque frater Januarius, Metropolitanae Ecclesiae Neapolitanae Canonicus; Comes Matthaeus Aegyptius Bibliothecae Regiae praefectus, acerrimi ingenii vir, et exquisiti iudicii; Nicolaus Capassus in Regia studiorum universitate primarius iuris professor, et in re litteraria magni vir nominis, et Joannes Baptista frater, quo usus est praeceptore, et a quo synopsim historiae philosophiae habemus; Coelestinus Galianus Thessalonicensium Archiepiscopus, Regiique Sacelli Antistes; Bernardus Tanusius a Sanctioribus Regis consiliis, et secretis; Josephus Aurelius de Januario Regius Consiliarius, et in Regio Lyceo Neapolitano Feudalis disciplinae antecessor; Comes Xaverius Pansutus, vir exquisitissimae doctrinae, Joannes Baptista Vicus, Regius eloquentiae Professor, Augustinus Arianus, mathesis scientissimus, Joannes Antonius Sergius J. C., Ignatius Calcius Linguae Hebraicae professor, Jacobus Martorellius, Felix Sabatellius, Josephus Paschalis Cyrillus, J. C. gravissimus, aliique quam plurimi. Inter exteros vero, ne longam heic telam pertexam, praecipuos memoro Ludovicum Antonium Muratorium, Marchionem Scipionem Maffeium, Iacobum Facciolatum, tria praecipua huiusce saeculi lumina; item Franciscum Zanottum, Joannem Baptistam Morgagnum, Antonium Franciscum

Gorium, S. R. E. Cardinales Aquavivam, Carapham, Quirinum, Passioneum, ceteros.

Reliquum nunc est, ut de tanti viri abitione dicam, quod paucis absolvam. Excurrebat annus MDCCLXIV. quum Noster in amicorum consessu sententiam rogatus est, quam potiorem obscurissimi Persii versionem faceret. Tunc is summa eruditione de singulis scriptoribus peracre iudicium tulit: eaque fuit sermonis summa, Fontaninii versionem tanti non esse, quae illi, quam Stellutius, et Salvinius elaboraverant, praeferretur. At siquidem exceperat nescio quis, latinum sermonem Tragicorum poetarum inopia infeliciorem esse, is, Scaligero vindice, tantum honoris ait ob unum Senecam Latio constare, quantum nec Prometheus, et Persae Aeschyli, nec Sophoclis Antigona, nec Medea Euripidis Graeciae tribuere. Interea dum Italicarum tragoediarum Xaverii Pansuti laudationem instituit, heu! vix paucula pronuntiaverat, quum repente linguae paralysi correptus est. Sic erat constitutum, ut qui lingua potissimum polleret, linguae primum iacturam pateretur. Verum is testamenti tabulas, ut hoc etiam moneam, tres ante annos confecerat, quibus bibliothecam sane quam selectissimam Josepho Lupulo, Margaritae sororis filio, et Patruo meo amantissimo reliquerat. Nisi quod dolendum id, mihique longe molestum, numismatum, et anti-

quorum cimeliorum locupletissimam collectionem, cuius nulla in postremis tabulis mentio, pessimo malo, parentibus invitis, deperiisse. Verum, ut eo redeam, unde digressus est sermo, decumbentis amici rumore percitus Seraus statim Aversam convolavit, si quo illum posset artis adiumento levare. Tacentem in lecto ubi primo vidit, obriguit, mox largius flevit, tum nihil non tentatum voluit, et digrediens curae ministrum patruum meum Agnellum Lupulum reliquit, carum Patricellio nepotem, et Serai ipsius in Medicis disciplinis auditorem, tum adseclam fidissimum. Paralysi accessit febricula, et mox urinae difficultas; ac subito in extremis fuit. Quam ob rem quum se ad postremum certamen Ecclesiae Sacramentis comparasset, summa quidem constantia, ac missione veluti de corporis statione impetrata, in pace Christi Aversae quievit III. Nonas Octobres, aeternum sui desiderium relinquens, ac difficilem aemulationem. Virum doctrina insignem, insigniorem fecit publicus luctus. Orationem inter parentalia habuit Antonius Paganus Canonicus Aversanus, inscriptiones posuit Vincentius Lupulus, funeris vero adparationem Laurentius parens meus uno cum dolentissimo patruo Josepho exsoluere. Demum vero fratri desideratissimo Margarita soror superstes, Avia vero mea, marmoreum cenotaphium in Gentilitio Sa-

cello posuit, cui Franciscus Seraus postremum amico benemerenti officium persoluturus, haec voluit inscripta:

Perennitati Memoriae
MICHAELIS ARCHANGELI PATRICELLII
Aversanae Ecclesiae Canonici Archidiaconi
Qvi ingenii alacritate singvlari
Eximio stvdiorvm delectv
Moribvs compositis atqve vrbanissimis
Et Mvnicipii Natalis Fractae Majoris
Et Aversanorvm famam cvltvmqve
Politioribvs insvper litteris in Clericorvm
Seminarivm
Novo ardvoqve molimine avspicato inlatis
Ornavit atqve avxit
MARGARITA PATRICELLIA
Fratri pientissimo deqve se optime merito
In Gentilitia Aedicvla
M. P.
Vixit Annos lxxiii. D. vi.
Mortvvs est Aversae iii. Non. Octobr. mdcclxiiii.
Conditvsqve in privato Canonicorvm Sepvlcro.

E L O G I V M

ALOYSII DE AMBROSIO(1)

Aloysius de Ambrosio, rarissimi exempli adolescens, ac ingentibus naturae bonis ornatus, honesto genere ortus est Neapoli. Parentes habuit Bernardum de Ambrosio subactae doctrinae virum, atque in Neapolitano Archigymnasio iuris doctorem eximium, et Vincentiam Rizzi. In puero ea animi indoles eluxit, ut omnes maxima de eo sibi pollicerentur, divinoque consilio factum praedicarent, ut doctissimus Pater, Mater pientissima talem natum suscepirint, cuius si a Deo immortali ipsis data optio foret, nec meliorem, nec se magis dignum habere potuissent. Insita enim animi bona, quae in suis maioribus longo annorum spatio probata fuerant, eximie in eo micabant, et cumulatissime. Ingenuae indoli par accessit educatio; litterisque et moribus institutus in spem haud dubiam futurae virtutis et doctrinae parentes adduxit. Temporis parcus, animi relaxatio-

(1) Condiscipuli sui, cum quo coniunctissime vixit, scripsit auctor elogium an. MDCCXC, rogante Nicolao de Ambrosio Philomeliae Episcopo.

ni vix parum tribuebat. Ludos, et quae lubricae aetatis solent esse oblectamenta, nihil quidquam curavit. Litterarios conventus, et ecclesiasticas exercitationes unice frequentabat. Parentem optimum, saeculi ornamentum, puer adhuc amisit, cuius damnosissmam iacturam aequiori, quam credi potest, animo tulit. Patris loco Nicolaum de Ambrosio patruum coluit, versatilis ingenii virum, Eminentissimi Josephi Capycii Zurli S. R. E. Cardinalis, et Archiepiscopi Neapolitani vices gerentem, a quo non tantum diligi, sed et amari novit. Huic demisso adeo, et obsequenti animo adstabat adolescens, ut nec patrem ita revereri moratissimus filius posset. In matrem praeterea ita adfectus erat, ut maternas delicias eum unum prae ceteris natis constituisse diceres. Fratribus insuper, et sororibus ita fuit carus, ut numquam cum iis in gratiam redierit, quippe qui ne minimo quidem verbo, vel parva offensione eos laeserit. Philosophiae studia adolescentulus adripuit, ususque praeceptore est consummatae doctrinae; in quibus ita profecit, ut scientiae monita ad vitam suam instituendam, moderandamque retulerit. Divinae doctrinae tamen maiori animi contentione vacavit, canonumque notitiam ex doctissimo Patruo, veluti ex fonte purissimo hausit. In omnibus disciplinis, quae ardua et abstrusiora videbantur, vel ingenii acumine, vel diuturno labore pervicit.

Ad haec non minus litteris, quam virtutibus omnibus inclaruit, in primis innocentia, et morum integritate, quam ingenti industria, et diligentia fovit, et ad extremum usque vitae auxit. Vitae rationem, et consilia omnia ad Religionis amussim retulit, eiusque modulo verba etiam ipsa metiebatur. Modestiam ita coluit prae ceteris dotibus, ut nemo unus adolescentem vel oris gratia, vel sermonis iucunditate, vel ipsa corporis forma, et incessu, veluti modestiae vivum simulacrum reveritus non fuerit. Non otium, non illecebrae, nec saeculi blandimenta innocentissimis moribus damnum intulere. Consuetudinem, amicitiam, familiaritatem cum nemine iniit, nisi vitae integro, ac sene ut plurimum, et se doctiore Austerus numquam visus est, nec difficilis, sed urbanus, hilaris, comis, facilis. Res simplici sermone, et recto semper, atque decoro narrabat; nihilque plane ex eius ore prodiit, quod vel minimam simulationem, vel fallaciam, vel calliditatem suboluerit. Facta aliena numquam investigavit. Nulli iniuriam intulit. Jurgia, dissidia, contentiones nec aluit, nec movit. Cunctis non minus obsequens fuit, quam acceptus. Christianam pietatem ita coluit, ut principe eam loco semper habuerit. Quotidie domo egressus ad sacellum Divi Thomae Aquinatis in aedibus Sancti Dominici perreptabat; sacrisque ibi summa pietate in-

tererat, et frequentissime Sacrosancto Christi Corpore reficiebatur. Inter clericos Regii Sacelli Palatini receptus, muneris sui partes diligenter, et abunde explevit. Divinum officium ante recitare consuevit, quam ad maiores Ordines deveniret. Statis diei horis sibi soli in aedium penetralibus vacabat, et orationi. Denique iam Diaconus, adolescentiae actibus summa cum laude peractis, ex corporis custodia, et ancipiti rerum humanarum mutabilitate, perpetuum sui desiderium relinquens, constanti oris, mentisque serenitate ad sempiternam beatitatem evolavit Neapoli anno MDCCXC. IV. Nonas Maias. Mors eius cunctis bonis acerbissima fuit. Cum lacrymis, et moerore postridie elatus est, et in arca subitaria, non sine constanti eximiae innocentiae fama, depositus in Ecclesia S.Mariae Angelorum.

ELOGIVM

MVCII ZONAE (1)

Mucius Zona, Vir doctus, facilis, humanus, natus est Calibus, veteri Ausonum oppido, anno MDCCXI. XI. Kal. Februarias. Parentes, qua ipsi erant religione, atque humanitate, eadem filium imbuerunt. Erat in puero ingenium docile, et acutum, itemque praeclarum et promptum. Litteris prima aetate maximo ardore vacavit; summum bonum in pietate posuit, et quae vel etiam adolescentium mentes abripere solent, animi celsitate despexit. Decennis Neapolim traductus, exquisitioribus disciplinis, ac una politioribus litteris et musis amoenioribus omnem operam, perinde ac aliud non ageret, impendit. Praeceptore usus est praeclarissimo e Societate Jesu, qui adolescentis praecox ingenium expertus, omnem industriam adhibuit, ut Societati eum adscriberet. Philosophiam et Mathesin in succum sibi et sanguinem redegit, nihil-

(1) Typis Raymundianis Neapoli prodiit anno MDCCLXXXVIII. in postremis officiis memoriae Mucii Zonae Archiatri Hispaniensis persolutis.

que in iis difficile arduumque fuit, quod non acumine ingenii, et labore pervicerit. Eas disciplinas impensius coluit, quae sunt ad medicinam faciendam vel necessariae, vel utiles. Porticibus prope Herculanum primo artem auspicato exercuit, plurimosque a morbis satis perplexis liberavit. Multumque existimationis accessit, ex quo, qui aegritudine, et adversa simul fortuna conflictabantur, non artis auxilio tantum, sed et re familiari sua iuvare studuit. Diffusa quaquaversum sui nominis celebritate, CAROLVS III. tunc Neapolitanorum Rex P. F. A. bono Reipublicae, et huiusce Regni felicitati natus, florentissimus modo Hispaniarum, novique orbis Monarcha Catholicus, summam de eo opinionem concepit. Verum quoniam is natura adeo comparatus erat, ut honores fugere mallet, quam eos petere, veritus ne, uti in Principis existimationem incidit, ita et ad aliquam adsurgeret dignitatem, iam in eo erat, ut vasis collectis suos repeteret lares. Honor fugientem sequitur. Carolus magnis domi militiaeque Neapoli gestis, quum eo soluturus esset anno MDCCLIX., quo Hispaniarum, novique orbis gubernacula eum advocabant, Mariae Amaliae Walburgae Reginae, non alium quam Zonam medicum designavit. In Hispana aula constitutus, consuetudinem de se humiliter sentiendi haudquaquam abiecit. Curam omnem in eo tantum posuit, ut munus suum inde-

fesso labore sustineret, atque obiret, et pietatem in Deum, in Regem vero fidem, quantacumque posset sedulitate, tueretur. Eius integritas, constantia, industria Carolo probata abunde adeo fuit, ut nemo Regi carior. Ea apud Principem gratia numquam usus est, nisi in levanda miserorum inopia, et in deprecandis amicorum vel periculis, vel incommodis. Regina anno MDCCLX. vita functa, munere suo et ipse functus, dum supplex a Carolo missionem expectabat, Regiae sobolis, quam viva et spirantia paternae virtutis simulacra dixeris, medicus constituitur; et mox Regis universae Hispaniae, novique orbis Archiater, et Medicorum Collegii Praeses renuntiatur. Eo in munere doctrinam, laborem, fidem, sedulitatem cumulatissime Regi Carolo probavit. Regiae medicorum Academiae, et horto botanico mox praeficitur. In publicis privatisque negotiis praeter probitatem, animique candorem singularem, eam enixe operam dexteritatemque praestitit, ut nullum pene in Aula Hispana maioris moliminis negotium fuerit, quod ei commendatum feliciter non cesserit. Sine fuco, et fallacia res regias dexter semper egit, publicis commodis promovendis unice intentus. Hinc regii Consiliarii munus, aliaque experientissimo viro digna officia a Rege Carolo promeritus est. In summa dignitate, ac multa fortuna, comitate et facilitate sua

omnibus vel minimis se exaequavit, adeoque se gessit, ut ab omnibus diligeretur. Amicos doctos et paris fidei, optimam, pulcherrimamque vitae suppellectilem paravit, et coluit. Familiaritate in Hispania supra ceteros usus est quammaxima cum Michaele Ignarra, Nicolai germano, a confessionibus modo Mariae Josephae, Regis Catholici Filiae. viro qua doctrina, qua priscis moribus commendatissimo. Caelebs vixit; habuit tamen Aloysii fratris Dominicum filium, quem impense dilexit, et Hieronymum Dominici F. senectutis suae delicias. Quas animi insignes dotes a natura sortitus est, puer servavit et sedulo excoluit, adolescens ingenti cum foenore roboravit, senex mirum quantum auxit. Legis Evangelicae modulo, ad quam suos usque mores semper composuit, omnia metiebatur. Prolixa in pauperes beneficentia clarus, egentibus ultro quavis hora patere ianuam suam voluit. Reginae munificentiam expertus, qua sibi quinque millia centussium obvenerant, constanti animi magnitudine, longe praestantiores usuras ex ea summa exacturus, paup ribus distribuit. Clericorum insuper Collegium Calibus a fundamentis excitaturo Josepho Capycio Zurlo Calenorum Pontifici, Neapolitanorum nunc Archiepiscopo et S. R.E. Cardinali amplissimo, magnam pecuniae vim largitus est. Publicae hinc gratiae Episcopi nomine, elegantissimo carmine ei actae a Matthia Simonetti

in Caleno Seminario eximio Eloquentiae professore. Christiana pietate, religione, vitae innocentia, ceteroque virtutum ornatu longe adeo omnibus praestitit, ut ad eas potissimum natum dixeris. Maximam gravitatem cum singulari comitate et suavitate coniunxit. In amicos officiosus, in maiores demissus, in bene de se meritos gratus, modestus praeterea, fidus, parcus, frugalis, simplex, apertus, veritatis cultor, fraudis inimicus, unoque verbo moribus optimis, et honestissimis. Talis quum esset, suis dignam meritis famam est adeptus in universa Hispania. Calibus hinc ob adversam valetudinem, invito Carolo, restitutus, quum per plures annos sibi et suis et patriae cumulatissime satisfecisset, natura, fragile quiquid in eo erat, sibi postulante, in pace quievit an. MDCCLXXXVIII. VI. Idus Januarias. Vixit annos LXXVIII.

ORATIO
IN FVNERE
CAROLI III.
HISPANIARVM REGIS (1)

Si tempus aliquando fuit, quo Vrbem hanc ingenti accepta plaga, ac propemodum insanabili concidisse putaverim, ut in templis squalor et luctus, in foro silentium, et solitudo, in omni aetate, in omni ordine atrae ac sordidatae vestes, ubique publicae calamitatis forma obversaretur, tunc profecto extitit, quum acerbissimus, et universo Neapolitano populo gravissimus nuntius advenit, Carolvm III. Hispaniarum, novique Orbis Regem potentissimum, contra bonorum omnium vota diem suum obiisse. O diem cunctis populis, ac nobis praecipue infelicissimum, quo tantum regem, quo patriae patrem optimum amisimus, in cuius vita res universa publica sita erat! O cladem horrendam, irreparabilem, qua repente Augustissimus Princeps, seculis multis dignissimus qui viveret,

(1) Habita Neapoli in Ecclesia S. Jacobi Hispanorum IX. Kal. Martias an. MDCCLXXXIX.

interceptus est! Ecquid enim in terris Caroli Regis nomine ac maiestate augustius, ecquod praeclarius esse umquam poterat ornamentum? Vno nempe funere acerbo Europae, et universi orbis singulare decus, simulque bonas artes, omne virtutum genus, et quidquid boni undique erat, quo recreabamur, extinctum deflemus. Vtinam Deus Opt. Maximus fecisset, ut vel id numquam accideret, vel si in tanto luctu ob providentissimi Regis iacturam modo versari par esset, laudatione tamen persoluta, animi nostri dolor aliquantulum leniretur. At funebris iste adparatus, et ad dolorem excitandum compositus mentem oculosque perturbat, qui pristinam Regii huiusce caetus alacritatem requirunt. Ad haec regnum squalet, moeret civitas, omnium animi consternatione quanta maxima perculsi iacent. Legationum praeterea tristes querelas mihi modo audire videor, urbium pene omnium italicarum magnas incredibilesque acerbitatis attestationes; militum singultus, tuumque, Ferdinande, Rex noster optime, invictissime, gemitum et aegritudinem. Quid quod hi ipsi parietes, qui eius adspectu, eiusque regiae ac pulcherrimae frontis maiestate laetari antehac, et gestire pene videbantur, nunc eius tumulo, veluti funestissimo signo erecto, lugent quodammodo, et aegre pati prope significant, quod non una prostrati aequatique solo conciderint. Qui igitur in com-

muni omnium lamentatione egomet, qui constantem animi magnitudinem in hoc laudandi genere adferre deberem, a fletu oculos abducam? Nimirum illud reliquum nunc est, ut ipsa oratio luctu propemodum squalescat, et nenia veluti quaedam magis magisque suspiria eliciat, et dolorem. Attamen quoniam vestra auctoritas me ad dicendum compulit, vires quoquo possum modo resumam, eiusque Principis laudes exornando percensere enitar, cuius singulae virtutes rarissimi adeo exempli sunt, ut una earum quaeque Regem sanctissimum providentissimumque satis nobilitare valeat. Quae quum permultae sint, maximeque verear ne orationis modum excedant, gratissimum vobis fore spero, si nihil prorsus commemorem, quod non ipsi cognovistis, animadvertistis, cui non interfuistis, quod denique non praeclarum sit, et vestra expectatione, funerisque huius amplitudine dignum.

Quoniam de eo mihi augustissimo Principe verba facienda sunt, cum quo uno partem laudis aequalem nec Cyrus ille apud Xenophontem, nec Agesilaus petere possent, non minima haec me cura angit, unde potissimum initium orationi ducam, et quid dici, quidve potius omitti in tanta rerum copia oporteat. Verum nihil de Caroli Regis pueritia vobis adferam, Equites, quum exploratissima res omnibus sit, adeo Principem nostrum

ad virtutis effigiem factum fuisse, ut nec prudentia quoque, quam primis annis summi philosophi desperarunt, iam tum in eo desideraretur. Natura enimvero omnes impendisse vires videbatur in eo ornando perficiendoque, quem aeternae mentis altissimum consilium, et ratio tot regnis praefectum, et gubernatorem parabat. Quod et ipse augustus Parens Philippus praesentiens nihil certe antiquius habuit, quam ut iis omnibus disciplinis CAROLVS institueretur, ex quibus pietas, gravitas, omnisque item ornatus vitae ad Reges promanat. Hinc profecto fuit, Equites, ut rem militarem potissimum et litteras, quas optimum quemque regem adprime callere oportet, CAROLVS adamaverit. Quid enim, per vestram fidem, veterum imperatorum nomina temporum aeternitati magis commendavit, nisi hae duae artes, quibus populorum incolumitas, Regum dignitas, et commoda omnia innituntur? quibus imperia stant, urbes conservantur, societas miro modo fovetur? Armis quidem optimus Rex ad hostes profligandos, ad socios amicosque tuendos, ad religionem defendendam augendamque utitur. Litterarum vero praesidium eo spectat, ut humanarum divinarumque rerum scientiam adquirat, legesque condat, quibus civium animos ad bonam usque frugem impellat; ut optima insuper exterarum gentium instituta perquirat, et adsciscat. Ita certe quibus per arma libe-

ris, patria, laribus, amicis perfrui licet, hismetipsis per litteras tantis iisdem rerum commodis cum dignitate uti licebit. At quae umquam eloquentiae vis ornare satis posset singularem CAROLI in litterarum studia propensionem, in percipiendo alacritatem? Vtinam, Equites, reviivisceret Emmanuel ille Benavides, S. Stephani Comes, cuius curae Regius Puer commissus fuerat, atque hic adesset; nonne vobis testatum abunde faceret, CAROLVM in ea prima aetate educatorum sollicitudines qua praecoci ingenio, qua morum ingenita suavitate adeo antevertisse, ut veluti novum sidus caelo delapsum Borboniae genti faustissimum iure ab omnibus suspiceretur? Sed fortasse quis vestrum a me etiam exspectat, ut quantum Princeps in re militari profecerit, aperiam? Quid? Anne vos latet, quod ei adhuc adolescenti innumeras pene copias Philippus tuendas, regendasque sic commiserit, ut ante dux quam miles, veteranus quam tiro fuerit? Vix annum unum supra tria lustra peregerat CAROLVS, quum tanta eius virtus extitit, tantusque animi ad virtutem impetus, ut cum exercitu ipse periculosissimis quidem temporibus in expeditionem profectus, maximo, et opportuno adiumento fuerit in tutandis ditionibus ac regnis, quae Philippo parenti iamdiu obtigerant. Alias enim urbes perturbatas pacavit, alias desciscentes alioque versas restituit, aliasque praesentia sua facillime in po-

testatem redegit. Tunc tunc nimirum fuit, Equites, cum saeculi felicitas CAROLVM utriusque Siciliae rectorem constituit. Qua in re maximam sane partem habuit invicti Regis consilium, sapientia, dexteritas. Non enim vos praeterit, quantum ille periculi tum adiit, quantum improbi laboris, quum aliquanto post, regnum sibi vindicatum ab integro adorientibus hostibus, ad Velitras ipse cum instructa manu venit, pugnavit, vicit. At o temporis laetissimam recordationem! Frustra CAROLVM Placentia optabat, frustra Hetruria, quum durissimam ille harum provinciarum conditionem miseratus, ad hanc felicissimam Italiae partem maiestate sua implendam victor advenit. Sane ut in hisce regnis perpetuam securitatem, incolumitatemque fundaret, nihil labori, vigilantiae, consiliisque suis Rex optimus reliquum fecit; quin pace terra marique parta, et firmata, veterum Imperatorum gloriam in optimo regimine instituendo aequavit. Quis enimvero in Principe nostro Augusti studium in litteris optimisque artibus fovendis, Traiani magnificentiam, Titi facilitatem, Antonini, et M. Aurelii iustitiam, Constantini pietatem et religionem non agnovit? Quod exemplum regnans non praestitit iustissimi Regis, et indulgentissimi Patris? Quod monumentum sapientiae, humanitatis, beneficientiae sibi in hoc regno non

exegit? Sapientia utique CAROLI ea fuit, Equites, quae huiusce regni habenas moderabatur, quae populos, provincias, urbes domi forisque tum pace, tum bello fovit, auxit, et omnibus ornamentis cumulavit. Ab hac igitur Regiarum virtutum parente ac nutrice ut omnia, quae mihi de tanto Principe dicenda sunt auspicer, attendite, quae, quantaque bona Regno huic attulerit, et quam belle res nostras secundas ornarit, adversis praesidium fuerit. Recordamini per Deum immortalem, qui status harum provinciarum ante CAROLVM fuerat, quibus angustiis florentissimae hac urbes premebantur, quam neglecta fertilissimi soli cultura. Nonne is summa sapientia, atque incredibili celeritate ad omnia curam et providentiam statim intendit? His enim squalore pene obsitis regionibus, veluti Salomon Hierosolymis, divitias quantascumque paravit, agris incultis ac prope desertis culturam, ex qua terrarum orbi primum opes manarunt, et feracitatem restituit. Huc artes unde unde accitas revocavit, Religionem sartam tectam tuitus est, commoda omnia tum privata, tum publica curavit. En quae lux, quantusque splendor rebus cunctis tunc accessit, quae mihi modo gestire, atque huic auctori, parenti, restitutori, atque conservatori suo gratias agere videntur. O Principem vere saeculorum omnium praedicatione dignissimum, qui populos felices reddere unicam

pene regis felicitatem arbitratus est! At quid de litteris dicam, quae prorsus ante hunc Regem pessumdatae iacebant? O rerum diras vicissitudines! Siccine a natali solo Musae eiiciuntur, ut, patria derelicta, alibi sibi tectum comparare cogantur? Nunc profecto Magnae Graeciae, celeberrimae illius musarum sedis, memoria mihi obversatur, quae digna olim extitit, ex qua legati Romani permultas gravissimas leges collegerint, quibus aeternum illud imperium regeretur. Nunc Pythagoricarum scholarum subit animum recordatio, ex quibus tot praestantissimi philosophi, et legum conditores prodierunt, qui Graeciam Italiotidem, nec non universam, quanta quanta est, Italiam illustrarunt. Sed heu quantum immutata litterarum facies tunc erat! Vtinam ipsae nunc humanum sermonem exprimere, effarique vobiscum possent! nonne vobis quantum Regi nostro debeant plenissime testarentur? Perstrepebant enimvero Caroli arma, quum veluti exsuscitatae litterae in spem venere fore, ut novam nitentissimamque faciem optimi Principis providentia induerent. Ut primum vicit, et regnare coepit invictus Rex, simul regnare et novo circumfundi splendore litterae visae sunt. Erat nempe in hac urbe Archigymnasium, sed heu scelus indignum! a stationario milite occupabatur, eratque quaquaversum militari insolentia foedatum. Hinc milite exacto, Rex in pristinum contubernium, quod in

elegantiorem formam restituit, et novis cathedris, legibus, et reditibus auxit, exules musas revocavit. Quam vellem, Equites, ut ea in me nunc abundaret orationis facultas, qua, ut par est, dicendo explicare possem, quaenam decoris accessio divinae scientiae, philosophiae, mathematibus, iurisprudentiae, medicinae, historiae, philologiae tunc facta fuerit. Quid quod ipsum veluti parentem res politica et nautica, commerciorum disciplina, et ars militaris agnoscunt? Sed tibi etiam, o sancta antiquitas, tuus stat honos per Carolum. Quis enim profecto nostrorum hominum pretium vel minimum vetustis litteratis lapidibus, nummis, anaglyptis, sigillis, vasis, et id genus innumeris thesauris statuisset? At rem modo immortali memoria dignissimam, quaeso, audite. Quis umquam putavisset, Herculaneum, Pompeios, Stabias, veteres urbes gravissimis Vesuvii conflagrationibus subversas ac sepultas, aliquando enideratas pristinae pulchritudinis formam exhibituras? Id tamen augusti Regis auspiciis, et providentia optime praestitum est. Et difficillimum dictu prope duco, quantam omnigenarum antiquitatum supellectilem, quantam inscriptorum lapidum copiam, quantam statuarum ex aere et pario marmore multitudinem, quantum picturarum stupendam numerum, elegantiamque; quantam denique toreumatum, gemmarum, vasorum gazam hae ur-

bes, magnitudinis Romanae veluti aemulae, in apricum protulerint. Sed plura etiam, et maiora dicenda supersunt. CAROLVS Xvirorum societatem ad tot vetera cimelia illustranda instituit: CAROLVS magnificentissimam bibliothecam mox publici iuris faciendam, et celeberrima musaea paravit: CAROLVS, regia studiorum universitate apud Peteliam intra fines Crotoniatidos erecta, Magnae Graeciae splendorem restituit. Quid cetera percurram, si quidquid dignitatis litterae et artes in hoc regno habent, CAROLO debeant?

At sinite iam nunc, Equites, ut a CAROLI sapientia repetam quoque maximam eius sollicitudinem et industriam in iis omnibus perficiendis, quae optimi Regis praecipua sunt munera. Quid enim magis curandum sapientissimo Principi est, nisi ut urbem, quam magnam adeptus est, maximam faciat? Id vero quam optime Rex exequutus fuerit, vos ipsi scitis. Si enim operum magnificentiam spectetis, si commerciorum frequentiam, si quaestuosas civium negotiationes, non est quidem, cur nostra haec urbs, et regnum quid ceteris vel ditioribus vel amplioribus cedat. Sed quod ad operum magnificentiam spectat, lustrate, quaeso, hanc principem urbem: ipse regium tectum, spatiis hinc inde laxatis, augustius reddidit; ipse egenis, ne tanta pauperies per urbem et regnum grassaretur, et pueris puellisque edu-

candis, ab inchoato aptissimas aedes erexit, in quibus artes, quas vellent, ediscerent, et profiterentur: ipse permagnum illud bestiarum amphitheatrum prope Sebethum exstruxit; et quid amplius dicam? Lustrate finitimas regiasque urbes; cuinam Caserta praetorium magnificentissimum debet? Quis saluberrimam Iuliam aquam, quam olim Coloniae Capuae servituram Augustus Caesar deduxit, e fonte, perforatis per plura stadia rupibus, in Augustae domus commodum derivavit? Cui Herculei porticus tantam dignitatem acceptam referunt, ut Principis etiam adspectu gaudeant, nisi Carolo? Praetereo hinc consulto quamplurima illa et praegrandia stativa praesidia in praecipuis Regni urbibus excitata, et ea ingentia opera, quorum ruinis opportune restitit, quaeque eodem, quo extructa fuere, animo ab interitu vindicavit. Sane quamvis muta haec omnia sint, sentire tamen, et laetari modo, quod niteant, quod frequententur, imo et magnum hoc Regis erga tecta ipsa meritum posteritati commendare videntur. Quid vero dicam de commerciorum libertate, et de multiplici eorum genere instituto? An quod aequoribus contractis amplissimum portum in hac urbe fecerit, aliumque Brundusii foeda vastitate collapsum restituerit, ampliaverit? quod populorum commodo quamplures vias straverit, complanaverit, ac potissimum Appulam, quam ad Bovinense usque nemus per

millia passuum IX. protulit, fontibus etiam ex intervallo exstructis? Nihil vero dicam de novis quaestuosisque artibus inductis, quas ex omnibus accitas terrarum regionibus in urbem, et in cunctas Regni provincias invexit, et auxit.

Quaeret hoc loco ex me forsitan aliquis, ecquae fuerit CAROLI in populum Neapolitanum benevolentia, qui eorum commodis et felicitati unus uno tempore, et paterna prope sollicitudine providerit? Tametsi hoc, Equites, pro dignitate ut par est, explicare desperem, in memoriam tamen, quaeso, revocate importunam illam tanti Principis ab hac urbe abitionem; populum enim ipsum, veluti fidissimum testem, interpellat oratio. O diei acerbissimam recordationem, quo Augustissimus Rex noster CAROLVS ob Ferdinandi VI. Germani fratris immaturum obitum ad Hispaniarum novique orbis regna capessenda, maximo aeternoque nobis sui desiderio relicto, vocabatur! Vos scitis, quae luctuosa conversio animos omnium occuparat, quae huius urbis, huiusce regni facies erat. Nullus enim tam excors fuit, qui ex secutura mox Regis absentia tristatus quammaxime non videretur. Huc civium multitudo tanta ex finitimis oppidis, et municipiis confluxit, ut plenae hominum viae, plenae aedium fenestrae, plena tectorum fastigia iam essent. Omnia hic gemitibus et suspiriis circumsonabant; populus abeuntem patrem deflebat,

inopes nutritorem, aegri perfugium, sacerdotes praesidium; unaque voce omnes sibi ereptum lamentabantur publicae privataeque rei columen, principum splendorem, religionis tutamen. Heu dolor! Heu lacrymae! Compescite tamen singultus, Neapolitani omnes; nam vestris commodis etiam hinc abiturus prospicit CAROLVS. Ne enim in provinciae formam, principe absente, iterum hoc regnum redigeretur, FERDINANDVM IV. sibi per omnia similem a sinu suo abstraxit, avulsit, ut in amoris ac benevolentiae suae veluti pignus perpetuum, regem nobis relinqueret. Profecto, Equites, non possum non animo exultare, quotiescumque venit in mentem tanti regis benevolentia, et quae ab ea proficiscebatur mira facilitas et humanitas. In his enimvero ita excelluit CAROLVS, ut quum fortuna multos, dignitate plures, virtute omnes reges superaret; humanitate tamen a nullo umquam superari visus fuerit. Ad quem enim regem, vel potius patrem tam faciles aditus? Ipse omnium querelis aures praestabat, omnes veluti filios mira benignitate excipiebat, eoque impensius laetabatur, quum supplicantium desideriis satisfacere cito posset, quo magis moerebat, si nulla quandoque benemerendi occasio adesset. Date mihi sane hanc veniam, Equites, ut sciens ac lubens praeteream magnam illam quidem principis beneficentiam, et ingentem erga afflictos, et adversa fortuna vexatos,

amorem: cujus auream nunc vocem audire videor, qui illud potissimum regium esse aiebat, regias opes regio animo largiri, ideoque immortali Deo longe maiores habebat gratias, quod multorum inopiam sublevare posset, quam quod regnaret. Praetereo insuper et eius mores in tanta fortuna innocentissimos. Quid nempe sibi Princeps indulsit, quod non omnes homines, non iura omnia concessissent? Quis regem umquam vidit praeter CAROLVM, qui sibimetipse prius, quam populis imperaverit, et Christianae philosophiae armis irae et invidiae immanem pestem fugaverit, voluptates vicerit, timorem et aegritudinem deiecerit? Praetereo denique cetera Principis singularissima ornamenta: maiora nimirum manent, quae persequi longe formidat oratio. Non tamen pati possum, Equites, quin de CAROLI iustitia nonnulla hoc loco attingam. Quo enim constantius ipse omnes homines ad iustitiam natos esse tenebat, eo sibi magis persuaserat, regibus eam virtutem, ut perpetuae commendationis, et famae fundamentum, aestimandam maxime esse, atque colendam. Quo quidem sibi proposito, difficillimum est explicare, ecqua regiae justitiae aequabilitate omnium commodo et utilitati, dignitati et honori, huiusce Regni insuper felicitati consultum iverit. Sed attendite paullisper, quos viros foro et iudiciis praefecerit. Ecquando illis sanctiores vel aequi bonique

amantiores severissimus ille Atheniensium Areopagus vidit? Non alios nempe homines in Senatum cooptavit Princeps, nisi qui domui suae bene antea consuluissent, qui regis sacramentum abscondere novissent, et cunctis item vitae officiis aequabiles fuissent. Quid vero dicam de publicis consiliis, in quibus commodorum suorum prorsus oblitus, civium utilitatem unice tuebatur? Quid de iudiciis, in quibus nihil ad gratiam, nihil contrarium, sed semper idem de eadem re decrevit? Quid de legibus, quas optimas et aequissimas tulit, et quas membratim divulsas, immo dispersas, ac dissipatas hic reperit, eas omnes in corpus unum cogi iussit? Mirum sane, quibus quantisque rebus providentiam suam intenderit Carolvs! Hactenus, Equites, ex tanta hac orationis infantia audistis quaenam Principis nostri sapientia fuerit, quinam in regnando mores, quae artes: nolite nunc, quaeso, a me exspectare, ut Principis pietatem et religionem vobis etiam commendem, cui profecto non tantum mea, quae nulla est, sed nullius omnino potest par oratio inveniri. Praeter quam enim quod nemo ignorat hac potissimum virtute Carolvm omnes ante se reges vicisse, et ceterpost se spem imitandi ademisse, accedit quod loicupletissimi etiam huiusce rei testes sunt populi, qui regis ad exemplum compositi, tanti religionem fecerunt, quanti par est ut optimus quisque fa-

ciat. Hoc ipsum insuper testantur sacra illa augustae domus penetralia, in quae quotidie statis horis se recipiebat, et modo omnia a se cogitata, optata, dicta etiam, et facta veluti in statera quadam ponderabat, modo optimi Christiani Principis officia persolvebat. Et ut pauperum hospitia, templa, et basilicas providentia sua excitatas reticeam, tum et regni sui admirandam cum sacerdotio concordiam; tanti Regis pietatem abunde mors ipsa, sanctissimae anteactae vitae compendium, evincit. Sed heu me imprudentem! hunc in locum mea me tandem coniecit oratio? Continete parumper lacrymas, et quoniam in hanc syrtim deveni, videte qua animi constantia morti CAROLVS occurrerit. Morbo corripitur Rex postremo mense superioris anni; qui licet non ea venerit facie, ut spem omnem intercidat salutis, turbantur tamen omnium animi, expallent vultus, heu suspiria! heu gemitus! cuncta squalor occupat. Vnus at CAROLUS in lecto decumbens impavidus, et propinquae mortis veluti praescius ad supremam illam diem se parabat, a qua ne terreretur, omnia virtutum subsidia sibi, quoad vixit, comparaverat. Hinc publicae decretae supplicationes pro optimo Principe, in cuius vita tot regnorum felicitas sita erat; hinc templa patefacta. Morbus interea sensim ingravescebat, et civibus dolentibus, domesticis dolore exsternatis, ipse invicto

animi robore Deo creatori suo spiritum commendans, a terrenis regnis ad caelestia mox migravit. O invidam mortem, mortem improbam! itane tu omnia misces? hocne praemium sanctissimo Principi rependis? hanc mercedem ei constituis, qui ad communem bonorum omnium utilitatem vitae suae rationes omnes contulerat? O tuam, Princeps optime, benemerentissime, recordationem, nullo unquam tempore non huic regno iucundam, non Hispaniis honorificam, non iis etiam gratissimam, qui *nostris*, ut ille ait, *adversa premunt vestigia plantis!* Ecqua aetas, ecqua temporis diuturnitas efficiet, ut tot tuorum erga nos beneficiorum grata memoria ex nostris animis, ex nostris visceribus evellatur? Te posteri obstupescent, CAROLE, te gentes omnes praedicabunt, et quamdiu steterit haec urbs, tamdiu tuae virtutis vestigia impressa, tamdiu tuae benevolentiae monumenta stabunt. Vale et salve igitur, Rex invictissime, vale et sis felix aeternum; qui uti populorum commodis, ac dignitati diu vivens cavisti, ita Regnorum tuorum gloriae, ac laudi, natorumque prosperitati, quod unum conceptis votis precamur, in aeternitate temporum vives.

*

CARMINA.

IDYLLIVM
IN
DEIPARAE EFFIGIEM
PRODIGIALITER SVDANTEM.

Qvo me Diva potens coeli rapis ? ignea quae me
Accendit virtus ? nova nam miracula rerum
Iam mihi dicturo , menti novus incidit ardor.
Audiat haec coelum , tonitruque remugiat aether,
Hauriat et tellus haec, quae loquor, auribus. En iam
Haud prius auditum , et non enarrabile carmen
Incipio , quod nulla sequens dein deleat aetas.
Namque ego non recinam magni systemata mundi,
Tellurem an stantem longo Sol ambiat anni
Mensibus exactis , breviori ac orbe diei ,
An Sole immoto , se se per inane volatu
Circumagat tellus , dum se rotat axe diurno ;
Nec cur retrogradi errones nitantur in ortum ,

Cetera ad occasum currant dum sidera lapsu;
Quidve velint diri toties, qui arsere cometae,
Aut latitans quae vis magnetica, quid maris aestus.
At portenta cano, priscis vix cognita saeclis,
Postera quaeque aetas vix est visura nepotum;
Scilicet irriguis manantia Virginis ora
Sudoris guttis sublimi in fornicis arcu,
Cui vivis, variisque adpicta coloribus haeret
Antiqua effigies pulcrae pulcherrima Matris.
Namque hoc portento quidnam felicius unquam
Esse potest? nati quid non speramus amantes?
Signa quidem haec sunt nil non portendentia magnum,
Non dubiis quae dat Mater tam provida monstris
Et rebus fidei advigilans, hominumque saluti.
Tanta in Christiadas Divae stat cura Parentis!
Tum tu magna hominum, atque indulgentissima Mater,
In populos qua dona fluunt coelestia, quaeque
Mortales vitae tot casibus eripis aegros,
Protinus haec laeto terris fine omina firma.
  Qua patet excultis dives Lucania terris,
Dicta olim veteri Latio quae Graecia Magna,
Ast ubi Germani fudit Basilius Othonis
Hic acies, tellus victoris nomine claret;
Pastor ego Montis (cui forte Aegyptius hospes
Ab simili regione urbis, similique locorum
Ipse situ captus, PelusI nomina fecit,
Aelio ab urbe Poli, quae Aeli de nomine dicta est,
Quod triplici muro, et triplici Aelius aggere cinxit;

Ante sed a Pelco, PELVSI nomen habebat.
Nam scatet argilla, mons est et fertilis acque.
Adde, quod et Bradanus rapidis hunc adluit undis,
Hunc et Basentum pleno rigat agmine aquarum,
Non secus ac illud septemflua flumina Nili).
Pastor ego PELVSI, inquam, miracula MONTIS,
Quae vidi his oculis, mea quae manus adtrectavit,
Teste Deo, haec eadem denarro fideliter orbi.
Iamque peragratis Bantinis saltibus, et iam
Lustratis arvis pinguisque, humilisque Ferenti,
Nunc saxo adfixi; tum late Acherontiam obibam,
Pastoris sane functurus munere (*), perque
Vrbes atque pagos visurus ovilia Christi,
Et signaturus sacrato chrismate frontes.
Devenio fessus, surgunt ubi moenia Tulbi;
Vtpote vere abeunte, aurisque tepentibus, ingens
Aestus erat, talos sudor manabat ad imos:
Cum subito fertur vicina per oppida rumor,
Secessu montis medio, sudare vetusta
Virginis effigiem aedicula, coelestis adusto
Quod manans simulacro humor, simul ora Parentis
Ac Nati irroret, fluitetque ab imagine utraque.
Haec ubi fama meas intentas venit ad aures,
Nescio quae mentem incessit mox prona cupido

(*) Archiepiscopi Acheruntini partes, eodem instante, implendas susceperat Episcopus Montispelusii.

Visendi Matrem, dantem haec nova signa salutis;
At certe subito, insolitoque exarsit amore.
Diviparae tum visa mihi regnantis imago
Clara per obscuram vultu laetissima noctem,
Quo late Coelum, tempestatesque serenat,
Et quo tutatur praesenti numine terras,
Adstare, et sic ore loqui: haud pars ultima curae
Maternae, tu nate, meae, si te unice amavi
A puero, atque meo tum animo interiore locavi,
Si sensi a te me longe carissimam haberi,
I nunc, quo te nostra vocant portenta, tibique
Sit cordi in populos studium evulgare, meumque
Hoc opus adsiduum, quo mulceo Numinis iras.
Nam magnum hoc laetus cum mox probet exitus omen,
Huius tum nostri fusi sudoris ab ortu
Solis ad Hesperium procurret fama cubile.
Dixit, et in tenues confestim evanuit auras.
His mens experrecta novos iam concipit ignes:
Cum sociis iam ardent animi conscendere montem,
In silvas inferre pedes, concurrere in aedem,
Ostentique novi occultas exquirere caussas.
Postera lustrabat lampas phoebeia terras;
Quandoquidem fervens, qui me rapiebat amantem,
Idem omnes simul ardor habet, sacro agmine facto
Tendimus hinc recta in silvam, comitante caterva.
Incedit glomerata cohors: nam longa viarum
Taedia vincit amor, cunctos hauritque labores.

Carpentes iter hoc, sacram perspeximus aedem (*),
Sit licet umbrosum nemus, et multa ilice densum.
Iamque aderant propria convulsi e sede fideles,
Quos sane visum vicinia miserat, et qui
Millibus haud paucis fuerant longeque remoti:
Hos laetos huc una eademque exciverat omnes
Prodigii iam fama novi; iamque undique sacram
Per silvam, longo per multa volumina tractu
Vnda salutantum Matrem diffunditur, atque
Late effusa mihi venienti occurrit. Aquarum
Vis veluti ripis constricta, atque aggere multo,
Si modo frangantur moles, queis usque tenetur,
Qua data porta fluit, declivi et pondere longe
Ac late insano contorquet vortice campos,
Cum stabulis armenta rapit, volvitque per undas:
Copia sic hominum mihi circumfunditur, ut vix

(*) Non praetereundum, quod Aedem hanc, Matri Dei *Fontis Gratiarum* sacram, cum adstructo aedificio, ne grassatoribus pateret in densi nemoris umbilico perfugium, per milites suos ductu Lothi cuiusdam, domo Mutina, depopulari primum, mox inflammari, incendique Magister Equitum Lucaniae iusserit an. MDCCCIX. Sed portentosum omnino, quod concitato incendio, flammisque qua qua versum furentibus, una Virginis Aedes integra, intactaque manserit, ut nec lignea contignatio damni exiguum sit passa. Statae attamen Tricaricensium, finitimorumque populorum supplicationes ex eo interclusae, nec ante resumptae, quam Dominica prima mensis Maii anni huius MDCCCXIII. id est VI. Nonas Maias, quo die, dum Coelestis Hostia immolabatur, exundans sudor tota manavit imagine Virginis. Iteratum id Maternae Pietatis argumentum XXIII. Kal. Iunias, ac adfluentissime postremo, quum eo advenerit Episcopus Montispelusii, eodemque adspectante III. Kal. Iunias eiusdem anni.

Infixo signare solum liceat pede, magna
Sed volitem tamquam vectus stipante caterva.
Limina sic primus subeo, comitesque sequuntur,
Qui possunt; alii silvam longo ordine complent.
Ecce vides renovata modis spectacula miris,
Queis Deus omnipotens per inhospita, et invia cursu
Deserti quondam loca prodigialiter undas
E rupe Hebraeo elicuit populo, duce Mose; et
Icto ter saxo virga, fluxere perennes
Fontani latices, sitiens quos Isacidum plebs
Ore, manu captat, multo et se proluit haustu.
Quippe hic e sicca muri compage redundant
Sudatae guttae, portendentesque tumultus,
Et belli finem, quo agitata Europa tremiscit;
Vnde fides vexata novum capit incrementum.
O adsis hominum vitiis foedata nefandis
Colluvies exosa Deum, irridere parata
Relligionis opus quodcumque, haud pondere ducta
Momentoque ullo rationis, stulta sed usque
Quae dudum impietas docuit commenta sequuta,
Nil quibus est veri, nil sancti, nulla Deique
Formido, nullum iusiurandum, unaque tantum
Relligio nullam amplecti; quos spiritus intus
Caecus agit, totoque infusus corpore, ad omnia
Foeda, scelesta, infanda animum rapit impete caeco.
O adsis. Quid? abeste profanum vulgus, et exlex,
Este procul, procul este, sacroque absistite luco;
Queis vetitum indugredi Divae sacraria, castis

Tantum adeunda viris, castis cum mentibus. En ut
Praesidii dat signa novi, dat signa salutis,
Atque diu optatae pacis dulcissima Mater,
Terrarum Regina potens, Regina polique
Maternos vertens oculos, fulgore nitentes.
Virgineos sudor tum totos occupat artus.
Clarior argento, solisque micantior aureis
Purior et radiis: oculi, frons, pectora, vultus
Rore madent, liquidaeque fluunt e corpore guttae;
Quae variae lapsu dum iam glomerantur in unam,
Clara repercussae emittunt sic lumina sole,
Pendere ut credas oblonga monilia collo.
  Protinus auxilio fratrum, manibusque sub ipsa
Exigua nitor testudine, quae modo Matris
Effigiem sudantis habet, sic cominus istud
Exploraturus portentum. Abstergere frontem
Linteolo, et pectus Divae, mirabile visu!
Linteolum undanti haud aliter perfunditur humore,
Ac si loturus mersisses fluminis alveo.
Obstupui, steteruntque comae, vox faucibus haesit,
Ossaque liquisset penitus calor: acrior ignis
Ni a puero cum lacte haustus, fidissima ni spes
In Matrem, atque fides, mentemq, animumque abeuntes
Terrestris vinclis, et inerti carcere molis,
Vitae expleturos iam munera, constrinxissent.
Tum lacrymis oculi multum rorantur obortis,
Cum gemitu permixta loqui mens plurima avebat;
At conata loqui, infans ter nil lingua sonare
*

Quivit. Tum populi subitus ferit aethera clamor
Laudantis Natum, Matremque, et multa gementis
Poscentisque Deum veniam, et malefacta dolentis.
Hinc latera, et vox quae me defecere, Supremi
Numinis in laudem maiorem versa, nemusque
Diviparam resonare docent, montemque Mariam.
Tum vero augurium cuncti clamore salutant,
Extolluntque manus; primusque ego lumine oborto
Accipio, agnoscoque Dei Matrem: hac duce bellis
Saecula mitescunt, ridet pax aurea terris.
  Interea roris quidquam coelestis habendi
Quisque ardet studio: lanae, xylinive globum, vel
Quidquid habet pexa, tenuique ex cannabe textum,
Vel demum praebet frustum de veste revulsum.
His ego sudorem abstergo, atque madentia manna
Coelesti haec eadem cupienti cuique redono.
Garriat hic quivis saecli sophus, obstrepat usque
Ad ravim; haud poterit perfricta fronte negare,
Et coecos subito hic donatos lumine; et aegros
Quolibet ex morbo cito convaluisse; pedesque,
Atque manus mancis viguisse; ut quisque potenti
Persolvat pro se Matri iam debita laudis
Munera, maiores grates habiturus amore.
Iamque abeundi tempus adest; divellimur inde
Aegre omnes; at ego haec Matri de more precari.
  Diviparens coeli, terrarumque arbitra Virgo,
Et quae una es Summi pulcherrima Filia Patris,
Atque eadem Verbo nascenti in tempore Mater,

Flaminis aeterni aeterno sub foedere Sponsa,
Adspice, quaeso, gregem hunc, Pastorem me adspice, et una
Numine res fidei lapsas tutare potenti,
Quas hominum scelerata manus lymphata per orbem
Fraudibus, atque armis penitus convellere certat:
Adspice Pontificem deiectum ex sede Quirini,
Abductum procul, et vigili nunc milite septum,
Dispersumque gregem, per mille pericula rerum
Palantem, exilio pulsos pecorisque Magistros.
Magnae sint curae haec tibi Nati regna Parenti,
In cruce quae moriens peperit sibi sanguine fuso,
In quorum partem quoque tu Regina vocaris.
Si bella huic Nati regno tot damna tulerunt,
Tu gentes quae bella volunt iam dissipa; ut uno
Pastore incolumi, ac reduce, unum fiat ovile,
Vnaque mens iterum sit, et unus ferveat ardor.

IN DIVIPARAM SINE LABE CONCEPTAM.

Nox erat, et sudo fulgebant sidera caelo,
Somnus et effundens lethaea papavera dextra
Lenibat curas, et corda oblita laborum.
Me quoque pervolitans placidis complectitur alis
Nescio quid sacri meditantem carminis, atque
Perstringens oculos leviter suavissimus urget.
Nocte sed extrema laeta haec insomnia vidi,
Vel potius falsus me tum vidisse putavi.
Circumseptus erat, conclusus, et aggere circum
Aggere inaccesso, atque impervius undique cuiquam,
Ast oleis cultus, platanisque virentibus hortus.
Heic fons signatus puris purissimus undis
Lene sonat, tramesque fluit facto agmine aquarum.
Circum inter spinas redolentia lilia vernant,
Orcque dum volucres auroram mane salutant,
Afflati vates divino numine pectus
Effundunt castos dulci modulamine versus.
A dextra carie numquam terebranda voraci
Cedrus adest, cunctas quae tantum vertice plantas
Vincit, procerae quantum viburna cupressi.
A laeva aerias mox se se attollit in auras
Mille referta armis arx, mille ornata tropaeis.
Haec ego prospectans tacitus dum singula lustro,
Haud procul en video campo stare agmen aperto,
Et ruere ingentes àrmis stygiasque phalanges:

Roboris o quantum est, quantumque furoris in illis!
Cum tantis nemo manibus concurrere monstris
Et ferro tentare audet, victusque manus dat.
Vna sed antiquam Judith imitata puella
Congreditur victrix, acies, ductore perempto,
Vrget, vexat, agit, fugientes ense fatigat.
Obstupui admirans victricia signa puellae:
Tum rosa vepre carens, astrisque micantior ipsis
Me visu cepit, captumque beavit odore.
His accensa super longo mens excita somno est:
Humidula ut primum detersi lumina, solemque
Adspexi, laetos concepi pectore sensus
Erectoque animo subito sic ore profari:
O quam te memorem, incolumis Jessaea virago,
Quam vetus haud serpens arrodere dentibus ausus;
Vna sed evadis veteris contagia culpae,
Diva ipsum paritura Deum, paritura Parentem.
Nam si primaevae tristissima fraudis imago est
Amnis, qui late pelago premit arva sonanti,
Ignis, qui silvam flammis crepitantibus ambit,
Et bruma, omnigenos flores quae frigore adurit:
In Te, Diva parens iam crimine sospes ab omni,
Frustra cum bruma, tumidus furit amnis, et ignis.
Scilicet Arca Noe fatalibus innatat undis,
Integer in medio Mosis rubus igne superbit,
Virgaque Aaronis non sentit frigora brumae.

IN VIRGINEM MARIAM
MATREM PROVIDENTIAE
QVAE COLITVR IN MONTE YRSO.

Quod felix, faustumque siet: coeli Induperatrix
Magna Dei Mater, terrai et maxima custos,
Numine quando tuo fundit sua munera tellus,
Aspice, namque potes, Triadi cognata supernae
Hanc urbem, hos agros, montanaque pascua circum.
Provida nam coleris, rebusque vocaris in arctis
Solatrix, cunctis licet heic tu montis, et urbis
Absumptae fato de nomine diceris Yrsi,
En imis convulsa suis iam sedibus Vrbs haec
Laetabunda tuum gestit conscendere montem
Sollemni, ac patrio factura annalia ritu
Sacra tibi laetis pro frugibus, atque colonis.
At tu quum sis, o Mater, clemensque, potensque,
Si prohibessis amica famem, bellumque, luemque
Averruncaris, steterit si publica sospes
Res populique salus, sanam si denique mentem
Servassis, sanctumque animum, rectique tenacem;
Semper honos, nomenque tuum, cultusque manebit.
Eia age, Virgo, volens da quae te rite precamur,
Et manet nobis ad plenum copia cornu:
Nimirum innumeris flavescat campus aristis,

Ingentem hinc illinc glomeretur acervus in orbem,
Dulcia procera manent ex ilice mella
Pressa favis, quae vix capit amphora, ovesque capellaeque
Et vaccae semper prolis, lactisque benignae
Pastorem exhilarent optatis fructibus auctum,
Pinguia musta fluant nec non undantia praelo.
Nam si, Diva potens, placido nos lumine spectes;
Nostras non tanget vites heic Africus urens;
Nec labor addetur frumentis, ut mala culmos
Robigo absumat, florensque putrescat arista;
Strideat et si quando furens aquilone procella
Rupibus allisus pendebit grandinis ictus;
Sive tonante polo crebris micet ignibus aether,
Fulmina inaccessos quatient, ferientque recessus.
Ergo tu vindex populorum maxima Virgo
Sis felix, nostrumque leves quemcumque laborem.
Namque tibi gens grata suis defensa periclis
Rursus sacra novo cultu sollemnia obibit;
Exultans meritosque tibi mactabit honores.

NATALIS I.

IN S. EVPHEMIAM

VIRG. ET MART. CHALCEDONENSEM.

Finitimi populi consurgite, gratior undis
Expectata dies vix tandem lumina tollit.
Vndique festarum vos urbs clangore tubarum
Ad sua templa vocat. Tempus iam surgere. Ab alto
Iam Diva augustum coelo caput exeret; alma
Iam veniet Virgo Martyrque Euphemia, in arctis
Auxilium semper latura Euphemia rebus.
Dum furit ancipiti dextram circumdata ferro
Ira trium (*) imperii furiarum, qua patet ingens
Diffusa immensum tum res Romana per orbem;
Dumque madent late loca caedibus, undique fuso
Et fluvios multo spumantes sanguine cernis:
Chalcidicis oris Euphemia nomine, virgo
Plena Deo, se se medios moritura per hostes
Infert, et pulcram properat per vulnera mortem.
Miratur robur Chalcedon Virginis, aureum

(*) Diocletianus ingenio quam ferox, tam timidus sustentandae tanti imperii moli se imparem existimans, Galerium, Maximianum, et Constantium socios assumpsit, et cum iis imperium partitus est: Constantius tamen mitis ingenii fuit, nec in Christianos saevit.

Huic statuit templum confestim vertice montis,
Bosphoricas qua spectat aquas, fluctusque tumentes.
Huc Oriens late sacras properabat ad aras.
Dona ferunt populi, plena venerantur acerra,
Thure calet multo, crebris micat ignibus ara,
Conceptisque animi votis testantur amorem.
Templi ebur effulget, sinuata volumina pendent
Fornice depicto, variata aulaea figuris
Exornant muros, cultu templum emicat omne.
Ipsa aequare fidem populorum sanguine certat
Quem fundit large intactis ex ossibus urna.
Huc cursum, signum visura, Melania flexit,
Vidit, et obtutu tacito defixa sepulcro
Obstupuit, dubitatque diu, caussamque requirit.
Praeterea accitos populos complexa potenti
Numine tutatur, donis coelestibus auget.
Tantum relligio potuit suadere bonorum!
Ast ubi nascentis solis pervaserat oras
Coeca superstitio, rerumque inscitia, verum
Detestata Deum nostra sub imagine, nostrae
Vnum assertorem, servatoremque salutis,
Qui nobis lapsam moriendo restituit rem:
Relligio remeans croceis orientis ab oris
Subrepta, Aegypto fugiens Hebraeus ut olim,
Classe vehens secum non ultima pignora cultus,
Per varios casus, et multa per aequora vecta
Adriaco exponit deserto in littore, et urbes
Surgentes circum his ditat ditissima gazis.

*

Ast, Aegyptiaco haud humili de nomine dicta,
Vrbs Pelusiaca, heredi tibi donat habere
Lipsana Chalcidicae pulcherrima dona puellae,
Et fidei aeternum hic statuit, clarumque tropaeum.
Nam florens aetate, et opum vi Euphemia, nec non
Mille petita procis, vultu pulcherrima, sponsum
Indignata virum, terit omnia calce superbo,
Et moritura fidem consignat sanguine constans.
Ecquid in antiquam virtutem, animosque viriles
Pectore femineo Christus non excitat alto?
Heu quae tormenti genera, et quam foeda tyrannus,
Quasque faces adhibet! lapidum quae pondera! Roma
Queis iam dura nimis debentes torserat olim.
Quos acuit diro crudeles dente leones!
Quae mox vincla parat! quae verbera! quasque puellae
Saepius horrificas tenebrosi carceris umbras!
His invicta malis, non cessit fortiter irae,
Sed toties victrix, devicto ex hoste triumphat.
Ergo martyrii laetum celebrate triumphum
Virgineum celebrate decus, laeta omnia poscit
Lux haec insignis semper meliore lapillo.
At tu, Diva, ingressa poli Capitolia summi,
Aligerum stipata choris, duplicique decora
Palma, iam purum ipsa vides in lumine lumen
Si tibi (namque potes) curae urbs erit haec tua, laet
Te veniente die, te decedente canemus;
Quisque tuas laudes digno celebrabit honore.

NATALIS II.

Ergo Chalcidicis Euphemia martyr in oris
Virgineo dudum tinxit quae sanguine litus,
Prodigiis iam signa dedit certissima miris,
Queis augusto agitur pinguis vindemia templo.
Eia agite ad templum populi properate frequentes:
Insonuere cavo ter Virginis ossa sepulcro,
Vrna sinu adstantes hilarantem exhalat odorem,
Effluere hac illac, et late fervere sanguis,
Vndique sanguineis spumat vindemia rivis.
Testis erit veri locuples Mauritius olim;
Quippe rei hic dubius, cum constituisset adesse
Portento, propiusque incredulus adspectaret,
Ex urna effuso confestim sanguinis imbre,
Nescio qua tum correptus formidine, mente
Concidit, exanimisque tremens procumbit humi; mox
Vt se collegit rorantia lumina tersit,
Cum gemitu permixta loqui, veniamque precari.
Quo me Diva rapis? te iam te audire loquentem,
Affari, hisce oculis propius videorque videre.
Fare age, subrectis tibi vates auribus adstat.
Protinus at Virgo placido sic ore loquuta est:
Quandoquidem casus, quos volvere dira tyrannis
Insignem forma, nec non pietate puellam
Impulerit, canere est animus, variosque labores,

Ne qua tenax ficti te fallat opinio, longa
Tota est martyrii hic depicta historia nostri
Quam cernis longo obtectam, et velamine nigro.
In morem rigidi sapientis signat imago
Divitias, fumum, spernentem, et gaudia mundi:
Sede sedet iudex, circumstant ordine longo
Carnifices diri, seu qui effera iussa facessunt,
Militibus rapior binis mox ante tribunal.
At quibus aggreditur iudex, si forte requiris,
Dictis, quaeve mihi dictat responsa superne
Spiritus, his lege ceratis conscripta tabellis.
Sed parva haec, primae ac veluti praeludia pugnae:
Cerne hinc tortores immani corpore binos
Magnos membrorum artus, magna ossa, lacertosque
Exuere, et media ingentes consistere arena.
Hic mihi cervicem deflectit, durior ille
Nunc ictus dextra ingeminat, nunc ille sinistra:
Nec mora, nec requies, quam multa grandine nimbi
Culminibus crepitant, sic densis ictibus hastae,
Creber utraque manu tundit, pulsatque puellam.
Adspicis oppletam me multo sanguine, fractum
Iactantemque utroque caput, crassumque cruorem
Ore reiectantem, mixtosque in sanguine dentes.
Praeterea cerne hic quam foedo, et carcere caeco
Detineor dudum tendens ad sidera palmas
Oratura Deum, Crux eminet aere, nostri
Martyrii haud dubii, vicinae, et nuncia mortis.
Denique cerne animo longe, lateque furentes

Ingentesque globos flammarum: hunc nempe cremanda
Conscendi iam laeta rogum, nocuit nec flamma capillum.
Haec tamen haud moror, infracto pectore Virgo
Opperior caedem meditantis protinus ictum.
Ne vero lateat, quae me mox fama manebit,
Longius haec reserans tibi nunc arcana movebo.
Hoc olim ad templum, quo nil sacratius usquam est,
Et iurare fidem, et pacis nova foedera inire
Advenient Reges, latoque ex orbe tyranni.
Hoc et Pontificem trepidum tutabitur, actum
Vigilium imperii furiis, aramque tenentem.
Huc quoque Concilium, cui magno e nomine nomen
Vrbis Chalcidicum, magnos sedare tumultus,
Ingens Concilium Patrum, sanctusque senatus
Conveniet; sacra hic, et magna comitia habebit,
Quae mores, lapsamque fidem tutantur, et ornant
Numine tuta meo: quas haec tum Curia condet
Leges! quae condet decreta! quot haeresis iras
Contundet, motos componat ut aequore fluctus!
Haec tamen acceptam referens uni mihi pacem
Me dextra pinget chartam, librumque ferentem.
Conticuit tandem, factoque hic fine quievit:
Et nostris subito ex oculis tum Diva recessit.
At te Diva, meis abeuntem prosequar istis
Votis ex animo, pietas quae carmine fundit.
Si tu res fidei tutaris, si bena coelo
Chalcidicos Patres divino lumine comples,
Haereseosque caput lymphatae comprimis altum:

Concussam late bello Europam aspice, gentes
Et quae bella cient, subito ceu turbine raptae
Pulveris instar eant, vacuo ludibria coelo:
Pontificem extorrem Romana in sede reponas
Optatamque diu redimitam tempora oliva
Redde tuis tandem populis, Euphemia, pacem.

NATALIS III.

Postquam res Asiae, coecamque evertere gentem
Eoam visum Superis, cecidit que superba
Chalcedon, captaeque urbis iam moenia fumant:
Evasere tuae rapidis, Euphemia, flammis
Reliquiae intactae; nam prodigialiter ignis
Ore, volente Deo, sacram non attigit urnam,
In tenuem cinerem late licet omnia vertat.
Cosroae et auspiciis nec si furiosius oras
Chalcidicas repetat Persarum post manus annos
Coniurata decem, belli tum damna furentis
Reliquiae sentire queunt; pietas nam laeta per undas
Evehet, et statuet Byzanti sedula templo.
Diva mihi caussas memora, qua percitus ira
Copronymus fraudes astu molitur iniquo.
Ergo Sanctorum tunc infensissimus hostis
Lipsana Chalcidicae disperdere Virginis audes?

O curas hominis! quanteque o falleris ausu!
Iamdudum aegre ante ora ferens tot adire sacellum
Virginis, et sacram populos venerarier urnam,
Adgreditur facinus, quo nil sceleratius umquam.
Audax fraude nova, lymphatoque agmine septus
Ingreditur templum, loculos scrutatur apertos,
Virginei furtim spirantia corporis ossa
Subripit, et subrepta domum deducit in urna;
Alterius dein ossa capit, conditque sepulcro.
Publica quae fraus! imperii quae sordida labes!
Postera lux aderat, Divam visurus et ipse
Copronymus properat, magna comitante caterva,
Et cultum simulans, spectat miracla cruoris.
Dumque agitur frustra sacro vindemia templo,
Ipse iubet rimari urnam, tum sordibus ossa
Spurcata impuris populo patefecit, et unus
Detexisse dolos gaudet, laetusque superbit.
Tum fremere, inque Sacerdotes nova iurgia demens
Plebs conferre, adeunt templi penetralia, sacras
Igne cremant vestes, populantur et aurea vasa,
Caede madent late populati moenia templi.
Atque ea dum templo tam dira, et foeda geruntur,
Vxorem, natamque ferunt, adflante superne
Corda Deo, venerari urnam, atque ornare coronis.
Ast ubi Copronymi fama haec pervasit ad aures,
Relliquiae ut pereant, demergi iussit in undas.
Dicturo sed, Diva, novum, et mirabile monstrum
Ipsa novas vires mihi suffice, ne mea demum

Fasce sub iniusto labefacta Camoena fatiscat.
Iam veluti pinus fluctu suspensa tumenti
Vrna salis spumas longe ruit, innatat undis.
Oceano nautae inveniunt, atque imponere certant,
Thesaurum iam se se collegisse putantes:
Ast ubi conspiciunt intacta cadaveris ossa
Naribus insuetum late spirantia odorem,
Lumine collustrata; rati haud sine numine coeli
Invenisse urnam, laetique hoc munere gaudent.
Tum mare misceri, ponto nox incubat atra,
Incubuere mari, totumque a sedibus imis
Vna Eurusque, Notusque ruunt, creberque procellis
Africus, et magnos volvunt ad litora fluctus,
Appellunt Lemnum, magnis Aquilonibus acti,
Exponunt urnam, ditatur et insula dono,
Glyceriae tandem sociatur Virgo sepulcro.
Quae me, Diva, doces praesens arcana! futuri
Temporis atque mihi qui panditur exitus ingens!
O quae relliquias manet has mox gloria mundo!
Nempe instaurato primum Chalcedone templo
Relliquias Regina potens exposcere iure
Gestiet abductas, et longa per aquora vectas
Constituet templo, populus quas laetus adorat.
Hinc populi motus, et seditione coorta
Lemnia turba frement; mox corda ferocia ponent,
Pignoraque ad navem ducent optata triumpho.
Excita adventu, et convulsa a sedibus imis
Byzantina ruet late urbs, Tharasius ossa

Chalcidicas iterum Praesul deducet in oras.
In petra exurgent primum nova moenia templi,
Hippodromus caput et mox inter nubila condet,
Olybriusque Deo templumque, arasque dicabit
Byzanti tandem magno sub nomine Divae.
Cetera quid referam, surgent quae templa per orbem?
Quam lata Europa est, te cultu Euphemia longe
Excipiet, meritosque tibi mactabit honores.

NATALIS IV.

Te quartum iam, Virgo, canam, quae clara tumentes
Sanguine Bosphorici tinxisti litoris undas,
Martyris unde decus, magnumque, Euphemia, nomen
Lumen, et antiquae Chalcedonis ornamentum.
Nam te praesidio tutantem, Diva, potenti
Non semel experti hunc populum tot casibus actum,
Semper, et ereptum feliciter, auspice te una.
Mox Pelusiacis abigentem finibus horridam
Ingentemque tuo praesenti numine cladem
Vidimus, excussae quando quassatio terrae
Intonat, excidiumque trahit, ruit omnia late.
At nova dicturo, coelo, tu Diva, sereno
Adde novas vires, insuetisque annue coeptis.
Cum subit illius tristissima noctis imago,
Vndique qua tellus magnis concussa ruinis,
Tecta superne tremunt, metuunt inferne cavernis,

Praesentemque viris intentant omnia mortem:
Sollicitam curis videor te, Diva, videre
Omnia tutari tanto in discrimine rerum,
Avverruncantem excidii, lethique pericla.
Nam Deus irarum laxas effudit habenas,
Atque eversurus foedatas crimine gentes
Turrigeram haud placido respexit lumine terram.
Tum vero interno tellus quassata tumultu,
Quem ciet accensus, crepitansque electricus ignis,
Halitus et piceus magno cum sulphuris aestu,
Nec non ardescens venientis vi, atque foventis
Pingue bitumen aquae, tacitis spirantibus auris,
Exilit, ingentesque trahit contrita ruinas,
Vulcano nimium superante meatibus imis.
Indignata diu nam flamma obstantia claustra
Perfurit, immanesque ciens insana boatus
Disiicit aut penitus nutantia tecta domorum,
Avulsisque hominum collidit corpora saxis;
Bacchantis flammae aut vi tellus ima dehiscens
Humanam pubem lapsu deducit ad umbras
Pallentes umbras Erebi, noctemque profundam.
Nec tellus quassata igni tremebunda quiescit,
Angusto donec disrupto carcere, flamma
Qua data porta ruit, magno tonitruque remugit,
Et vacuo tandem spatiatur libera coelo.
Tantane vis igni volventi semina flammae?
Musa mihi studium memora, quo Numine dextro
Diva, laborantes cui iam data cura Patronae

Hos Pelusiacos fines, populumque tueri
Auxilium trepidis affert Euphemia rebus.
Namque ingressa Deum sic protinus ore loquuta est.
O pater, o hominum, rerumque aeterna potestas,
Qui terram nutu quatis, et qui fulmine terres:
Parce Pater, Christique tui iam respice vultum,
Heu populo iam parce tuo tam multa gementi,
Tendentique manus, tundenti et pectora palmis.
Certe praesidium tu me columenque dedisti
Huic urbi, et populo; ut si quando iratus ad imas
Moliri dextra statuas tua fulmina terras,
Frangam tela manu, campos tuearque iacentes,
Frondosas vineas gelidae ne grandinis ictus
Verberet, et segetis florentis ne mala culmos
Robigo absumat, voret aut sata gutture bruchus.
Durior at patiar, quod nunc fortuna sequatur
Hos miseros? quem das finem, Rex summe, ruinae?
Te populi moveant lacrymae, mea vulnera cerne
Vulnera grata tui tam pulchre imitantia Nati,
Quae vivens invicta tuli, quae sanguine manant
Exuviis infixa meis; quae Natus amore
Asseret hic coelo, duplicique ornabit honore,
Cum tuba terrigenas tumulis ciet aere canoro.
His ira genitor posita, frontemque serenat,
Quando, infit, populi te tanta, Euphemia, tangit
Cura tui, tantisque paras occurrere damnis:
Parce metu, iam tuta manet tibi vita tuorum,
Incolumis stabit magno urbs licet acta periclo.

Plebs vero acceptam ut referat tibi grata salutem,
Hoc illi signum dabo; quae tuae imaginis illic
Intertexta auro, gemmisque corona refulget,
Vertice delapsam, revolutoque orbe videbit
Allisam terrae, testantem numinis iram
Placatam, flexamque tuis Euphemia votis.
Dixit et assensu superi plausere frequentes.
Salva satis tum cuncta stetit sub numine Divae
Res pelusiaca, et populus, quassatio terrae
Pulsibus innumeras quamvis male temperet urbes.
Salve igitur nostrae spes o fidissima gentis,
Iure novos omnes tibi nunc, Euphemia, rite
Accepti memores meriti reddemus honores.
Quod veteri de more tuo si ferreus alto
Figitur haud templo clavus, qui hoc pignus amoris
Tutelamque tuam testetur; sed rea voti
Posteritas te sera canet, dumque aurea volvet
Astra polus, memori semper celebrabere cantu.

AD VIRGINEM

DEI MATREM MARIAM

IN MONTE YRSIENSI.

Quem tu pastorem venientem lumine, Virgo,
Vidisti placido, praesenti et numine semper
Servasti incolumem, et tot casibus eripuisti:
Hunc discedentem nil indignata favore
Prosequere, et Mater si provida diceris, hunc et
Diva, tuis auctes donis, cumulesque beatis.
Maius enim subiturus onus, maiora pericla
Excepturus pro Christi grege digredior. Sed
Vix Pater a populo possum divellier isto,
Quem genui in Christo; cui lac, escasque paravi,
Pro quo animam ipse lubens iterumque iterumque dedissem.
Tu vero natos tibi, quos commendo relictos
Auxiliis tutare tuis, animaeque parentis
Dimidium serves abeuntis, amore sed omnes
Vsque suos complectentis, multumque foventis.
Pastoris maneant, Virgo, fac vota, precesque.

AD

VIRGINEM ET MARTYREM

EVPHEMIAM

MONTISPELVSII PATRONAM.

Te digressurus supplex, Euphemia, Pastor
Aggredior votis, prece te multaque fatigo
Vt populum tueare tuum, quem Numinis alto
Iussus ego imperio, flens, illacrymansque relinquo.
Aegre equidem Pater a natis divellor amatis,
Natis, Pastore heu! viduis, orbisque Parente.
Sed suprema Dei mihi iussa capessere fas est.
Hanc tibi discedens committo, Euphemia, gentem:
Tu tibi commissam, Virgo, Martyrque, Patrona,
Des fato meliore frui, caelumque tenere.

VIRO CLARISSIMO

VINCENTIO PESCE

CANONICO AVERSANO.

Haec tibi, Vincenti, mittuntur opuscula: non ut
Haud nugas meditantem, sed quae seria tantum,
Et varia semper curarum mole gravatum
Te morer his rebus levioribus atque minutis;
Sed tuus ut per te sane Patricellius aegra
Hac functus vita, semper sed vivus in istis,
Clarior in lucem edatur clarissimus ipse.
Ergo qua madeas multa tu Pallade, tempus
Fallere sic potes his subcisivum, genere isto
Quod nosti rerum lepidissimo, ut acrior inde
Abdere sacrarum in rerum penitissima mentem
Atque animum possis, quo non sapientior alter.
An potin' haec cupienti tam praeclara negare,
Quem simul unice amas, simul et quem diligis, a quo et
Te sentis longe carissimum haberier unum?
An vero canere est mihi opus, gladiator ut olim
Cantabat myrmilloni: *non te peto, piscem*
Galle peto, quid tu me Galle fugis capientem?
Sed tandem amoto quaeramus seria ludo.
Perlege opus levidense hoc; ut vix aere lavantem
Iudicio me, docte, tuo firmesque, tuique,
Quem dicis, bene de fama mereare Parentis,
Cunctorum hinc dictus merito gratissimus unus.

MICHAELI ARCHANGELO

L U P O L I

ADOLESCENTI DOCTISSIMO

VINCENTIVS CANONICVS PESCE

S. P. D.

Nil aeque gratum potuit contingere, quam quod
Magni gesta viri, Michael, tibi sanguine iuncti,
Nostri, non dubitem vere appellare, parentis,
Sublatum ex oculis quem flevimus, usque etiam nunc
Vt desiderio non ulla dies medicetur,
Egregio conscripta stylo vulgaris, uti nos
Iactura in magna quadam ratione levares.
Spirat adhuc per te Patricellius: illius una
Ingenium, eloquium, quo nemo disertior alter,
Vrbanosque sales, queis nemo facetior alter,
Non tam praeteritos veluti meminisse videmur,
Quam auribus accipere, ac praesentibus oblectari.
Porro ego sic statuo, clara cum stirpe tuorum
In te virtutem transfusam iure, quod aiunt,
Gentili. Nam quis vel primo in flore iuventae
Maturi ingenii molimina praecoce fructu
In te non stupeat? Quis dignis laudibus ornet
Praeclara in mutilum tua commentaria marmor

Corfiniense, laboris opus, multaeque Minervae?
Quis non hanc ipsam, quam magnus avunculus ipse
Efferat, historiam? Quid non sperare licebit,
Cum mentem porro extulerit provectior aetas?
Non hic vel Patruum memorabo, quem satis urbi
Huic nostrae docti commendavere labores
Olim formandae suscepti rite iuventae.
Nec te, Vincenti, longe a condiscipulatu
Quem dilexi oculis ego plus, ac semper amabo
Doctrina madidum omnigena, quem fama per omnem
Fert pene Europam, longinquis iam mage notum,
Quam nostris prope: nimirum haud Italas modo terras
Pervasit nomen, Gallis innotuit, alma
Sedem ubi defixit sapientia, quae mihi semper
Eximia, egregia est visa, ac quasi dixero, sola.
Ergo, nunc Michael, pauci si me facis, ede
Ede cito haec quae iam promittis opuscula: discat
Ex minimis etiam, quae scripsit avunculus, orbis,
In magnis quantus fuerit, quantumque dolendus
Hic luctumque sui, desideriumque reliquit.

PIO SEXTO

PONTIFICI MAXIMO.

QVVM, PIE SEXTE, sies Tu vindex artium, et idem
Princeps doctorum Tu Maecenasque virorum:
Hos lucubratos longo, multoque labore
Divina dictante diu virtute libellos (*)
Ecce tibi sisto, Patrique dicoque Supremo.
Etsi maiestas, et fulgor Pontificalis,
Quo late splendes, lumen perstringit utrumque;
Etsi curarum vallaris ab aggere circum,
Quum tot sustineas, et tanta negotia solus,
Resque Tibi fidei commissas, qua patet orbis,
Errore evulso sapiens tuteris, et ornes:
Munere tam parvo, Pastori accedere magno
Haud dubito, summumque interpellare Parentem.
Accipe Tu, quaeso, Pater optume, maxume, munus:
Auctoremque tuo, quippe humanissimus, aevum
Ipse patrocinio sic pergito in omne tueri,
Vt possit nova moliri maioribus ausis.
Vive diu, natumque beet benedictio Patris
Ante pedes dum se volvit, dumque oscula figit.

(*) Theologiae Dogmaticae lectiones; tom. VI. Neapoli Typis Raymundianis edit. anno MDCCXCV.

INNICO

CARDINALI CARACCIOLO

EPISCOPO PRAENESTINO

Me tot distentum quam saepe, Caracciole, curis
Impuleris vulgare meis miracula scriptis
Virginis irriguo Matris sudore madentis,
Me duce, quae vidit denso Lucania saltu,
Vrbes inter qui frondet Tulbi, atque Tricarci,
Haud equidem dubito memori quin pectore serves.
Verum animi incertus multumque diuque pependi,
Innice, perficerem quae tu tam saepe rogabas,
An tibi poscenti, quamvis praeclara, negarem.
Vicit amicitiae ast usus magnus mihi tecum,
Vicit Matris amor, qui haustus cum lacte, novisque
Sic mox excrevit cumulatis ignibus, omnes
Vt penitus fibras flammis voret acrius imas.
Excussi memet, quidquam et conarier ausus,
Illevi hoc chartis quodcumque est carminis, in quo
Cuncta uno intuitu digesta ex ordine cernis.
At tu, qui propius (quippe es comes additus unus
Pontifici captivo abeunti, et milite septo,
Cuius ad extremum morientis lumina lugens
Clausisti, atque a sede procul funebria sacra

Solvisti ; pius ipse Pio de nomine Sexto ;
Mox alium sequeris , per mille pericula rerum,
Per varios casus, quem eadem premit ira Tyranni)
At tu, qui propius turbatas aequoris undas,
Luctantes ventos, tempestatemque sonoram
Perspexisti oculis, qua Navis gurgite vasto
Ingemuit Petri ; potis es cognoscere fausto
Rerum ex eventu, quae sint haec omina, quae dat
Sudoris , Virgo trepidis spes unica rebus.
Nam victis orbis raptoribus, aurea terras
Pax hilarat, Christique Ecclesia laeta triumphat.
Ergo tu, Princeps, Romano nobilis ostro,
A quo et Praenestina capit clarum infula lumen,
Innice, amicorum flos electissime, quicquid
Muneris est id, quod sane testatur amici
Obsequium, bonus ipse, boni nunc consule, et aequi.
Vive diu, nostrique animi pars magna, valeto.

MARCHIONI
DRAGONETTIO

QVAS Lodoix, grates tibi solvere musa queat, par
Quidve referre pari, qui me nil tale merentem,
Nil et opinantem tanto dignaris honore?
Quo te nunc foveam, quo te complectar amore,
Eumeli, amicorum flos electissime? mene
Haeret qui penitus cordi defixus amor, tam
Longe prospexit tuus? Arcadiae decus ingens
Macte tua pietate, colis qua semper amicos!
Haec sed enim in te cudetur, Praesul, faba: sodes,
Cur me distentum curis gravioribus, istam
In scenam acturum vatem producis inertem?
Hoc quippe aetatis, dum mens labefacta fatiscit,
Qui possum in parvis humili aut incedere socco,
Aut rebus magnis altos aptare cothurnos?
Emoriar ni te ulciscar. Sed laeva tulit me
Quo mens? Gualteri, erravi, veniam peto, sancta
Oscula, complexu in sancto, libemus amici.
Tu vero pingui stabulas cur lentus in antro,
Nec tua deducis resonantia carmina plectro,
Carmina quae dictat Iuvenati Musa tibi uni?
Heu! quem te memorem, rerum iucundissime Vite!
Vite, tui desiderium heu quale relinquis!

Nam tecum omnigenae abscessit virtutis imago,
Et doctae tecum omnes abscessere sorores.
Amissum te flet noctuque, diuque Capellus,
Ille Capellus, quem tot ego virtutibus auctum
Vnice amo, a quo et sentio me simul unice amari.
Tu sed ave, iam Vite, Deo, caeloque potitus.
Flebilia at quorsum haec? pacato plurimam amico
Pontifici, Lodoix, rite impertito salutem,
Omnibus et sociis, quibus accidere omnia fausta,
Ex animo exopto, caelum votisque fatigo.

EQVITI

PROSPERO DE ROSA.

Spectatum satis, et donatum iam rude quaeris,
(Scripsit ut ille) iterum antiquo me includere ludo:
Non eadem est aetas, non mens, Prosper; nova sacri
Munia pastoris, Christi nova cura peculi,
Et nova sollicitudo gregis, noctesque diesque
Exercet distentum animum, perque omnia versat:
Resque suas dudum sibi iussit habere Camoenas,
Sarcinulisque foras collectis ire coegit,
A teneris licet his primos sacravimus annos.
At ne me immemorem, oblitumque rearis amici;
En tibi cuncta mei ratio oti, cuncta negoti.
Grex veniente die, grex decedente animo haeret,
Sollicitusque vices gregis, haud mea commoda curo,
Proque grege haud dubito caput obiectare periclis.
Nocte leves somnos resoluta compede fossor
Carpit et in medio requiescit navita fluctu;
Nocte leves somnos carpit defessus arator;
Ioniisque quies nocte est aquilonibus undis;
Nocte mihi aut nigrae fuligo bibenda lucernae,
Aut lecto in curas animus diducitur aegras;

Perque diem vero, quum sol caput exserit undis,
Atque humiles lustrat flammanti lampade terras,
Dumosa sequor aut pendentia ovilia rupe,
Aut a caula abigo ipse lupos, clamoribus implens
Et nemora, et montes, aut luctisonos ululatus
Edens, palantes revoco, errantesque capellas,
Multum iam canibus latrantibus undique sacris.
Hocce statu rerum, me tute poemata censes
Scribere posse inter tot curas, totque labores?
Quod si quo primum me tempore dulcis alebat
Parthenope studiis florentem ignobilis oti
Multa satis lusi, vernanti audaxque iuventa,
Virtutesque virum cecini, praeclaraque facta;
Doctaque Parthenope, Sebethide roscida lympha,
Non semel, atque iterum nostrum audiit excita cantum:
Ex quo me tamen excepit Lucania laeto
Laeta sinu, montesque inter, silvasque nigrantes
Heic statuit sacras tutantem pervigilem res;
Heu! oblita mihi tot carmina. Si volo quidquam
Conari, ingenium extundens, ter, et amplius ungue
Demorso, et caeso pluteo, non proficio hilum.
Nam reddit mihi pluma nihil, nisi vel pede claudum,
Vel quod retrogradi simulat vestigia cancri.
Praeterit an te, quod scite praescripserat *ille*:
Carmina secessum scribentis, et otia quaerunt?
Anglicum at heic vatem obtrudis, qui lumine lunae
Atque sepulchrorum tenebris sua carmina scripsit.
Praeterea imperio quo, Prosper, plurimum apud me

Ipse vales, urges, et iam vehementius instas,
Exemploque tuo, sociûmque faces, stimulosque
Hos adhibes, queis obluctari vel minimum haud fas.
Ergo, Melpomene, lugubres praecipe cantus:
Occidit heu! Daniel, sophiae occidit heu! decus omne.
Occidit heu! lumen, quo abstrusa, atque abdita rerum
Clarebant, quae aevi valuit tenebrare vetustas:
Occidit, et secum doctae occubuere sorores,
Et charites cecidere simul, veneresque, leporesque,
Et quantum doctrinae est omnigenae ornamentum!
Eheu! impia mors, mors invida, mors truculenta,
Impuras tun' ausa manus inferre? nec unam
Incorrupta fides, pietas, prudentia tanta, et
Distinuit virtus, Danielem ne abriperes, ne
Diraque foedares inhonesto vulnere amicum?
Ergo huic dura quies, oculos et ferreus urget
Somnus, in aeternam clauduntur lumina noctem?
Totus at haud moritur, meliori et parte superstes
Ipse agitat nobiscum occumbere nescius aevum.
Terrea nam terrae sua pars data tertia; itemque
Tertia pars expers terrenae pondere molis
Astra tenet, fruiturque Deo; data tertia nobis;
Iamque per ora virum volitat, multumque volabit,
Posteritas pretium meritis quoad arroget, et mi
Ante oculos semper levis occursabit imago;
Seu Clementino recipit memet lare, praebens
Lautia, et hospitio dignatur laetus amico,
Seu Pompeianum petimus, seu Puteolosque,

Sive mei tenero cum Ignarra certet amore,
Ore ut ego vulgare sua haud benefacta quiescam.
Nempe ego te, Daniel, postremo munere mortis
Donarem, mutumque tuum cinerem alloquerer mox.
Sed te flere nefas, Francisce, et funera vanae
Ludibrio pompae, et miseris onerare querelis.
Liber enim curis, limi vinclisque solutus
Amplexare Deum, tota quem mente colebas.
Nam quae viventem plenum pulchro, atque decoro
Religio eripuit vitae tot casibus una,
Haec eadem, ut par est defuncto credere vita,
Atque aucto virtute viam munivit ad astra,
Purus ubi, puroque vides in lumine, purum
Lumen, et infusi satiatus Numinis haustu
Exigis aeternam sine sollicitudine vitam.
Interea docti vates quot sunt, et amici
Te Francisce canant; veniat Ciampittius, os cui
Magna sonaturum, et mens divinior, atque
Cantus, quo nullus iam dulcior, aut mage suavis
Donet et inferiis sua carmina Giglius, ore
Carmina seu graio resonantia, sive latino.
Sat mihi, si tradam, mores imitatus avitos,
Munera ad inferias, quae olim sunt tradita, tristes.
Accipe amico iam multum manantia fletu,
Aeternumque ave amice modo, aeternumque valeto.
En quum detrectare nefas tua iussa putarim,
Prosper, habes επικηδιον, at mihi crede labore
Sudatum haud parvo. Per et ossa utriusque parentis,

Te per et obtestor quodcumque sacratius usquam est,
Ne jubeas iterum indignantia proluere ora
Fonte caballino; mihi Cirrhae somnia quippe,
Et quodcumque est carminis, invisa omnia. Tuque
Vive diu felix, vive et nostri memor usque.
Optimo utrique et amicorum Kalaoque, Rosinoque
Atque illi Surrentino, atque huic Puteolano
Praesulibus, nostro perferto haec nomine demum:
Lupulus ambobus iam recte agere, atque valere
Nuntiat antiquo, atque antiqui moris amicis.
Prosper amice vale, me, Prosper, plurimum amato.

IN DEIPARÆ LAVDEM

Pro colonia Alethina, *anno* 1784.

Mirum est Parthenidem primaeva labe carere,
Mirum est Parthenidem progenuisse Deum.
Et tamen ullus adhuc mortalis dixerit illi
Fas genuisse Deum, labe carere nefas?

IN EAMDEM

Pro colonia Alethina anno 1785.

Qui solis maculas, maculas qui quaerere lunae,
Et possunt maculas, phosphore, nosse tuas,
Intacta maculas in Virgine quaerere cessent:
Hoc sol, hoc luna, hoc phosphorus ipse monet.
Quid ni, si obsequii in signum sol illius ambit
Lumine purpureas irradiare comas;
Luna subest plantis; et phosphorus ora recondit,
Quum nempe impurae sit sacer ipse Deae?

IN EAMDEM

Pro Colonia Alethina, anno 1787.

Rem miram adspicio! Natura, et Gratia certant
Dum seritur prima labe Maria carens.
Stat Natura suis pro legibus, atque parumper
Exsuperare illas clamitat esse nefas.
Gratia non patitur modo legibus hisce Mariam
Subdi, cum summum sit paritura Deum.
Qui pote? Diviparae purum quam Gratia complet
Natura haud ausit praecelerare satum.

IN EAMDEM

Pro colonia Alethina anno 1789.

Purior electro, cunctis rutilantior astris
Sit Virgo summum progenitura Deum:
Sic Coelum; et subito vitales prodit ad auras,
Atque haurit clarum clarior ipsa diem.
Scilicet et primi te labe carere parentis
Fas est, et cunctis, Virgo, nitere bonis.
Sed si sorte datum puram te criminis esse,
Da mihi deleto crimine posse mori.

AVCTORIS ADOLESCENTVLI

EXERCITATIO

AD

FRANCISCVM SERAVM

Regis amor, regnique decus, patriaeque voluptas,
Magne Serae, antiquis aequiparande sophis;

Sive unda, sive igne velis me perdere, praesto
Sunt cuncta: hinc fervet Vesvius, inde salum.

Scilicet a forti non parva est gloria dextra
Interimi. Hac saltem sit mihi parte decus.

IN NVPTIIS

CAESARIS MIROBALLI

DE ARAGONA

PRINCIPIS CASTELLANETAE,

ET

CONSTANTIAE ROSPILIOSAE

Coniugio, Caesar, laeva de parte volucres
  Addixere tuo, detonuitque Polus.

Gaudia concipere hinc libet, et non irrita vota,
  Nam votis necti gaudia saepe solent.

Gaudia concipio, cum Par hoc Nobile sponsis
  Miraclum reliquis, invidiamque creet.

Vota at concipio, cum de insitione beata hac
  Heroum nasci germina pulchra rear.

Candidiore nota semper signabitur ergo
  Lux haec fulgidior qua mihi cumque die.

IN NOVAM COLONIAM

RECENS

A FERDINANDO REGE

IN MONTEM LEVCIVM DEDVCTAM.

Non usitata, Calliope, Lyra
Effinge versus; stat mihi scilicet
Heroa priscis invidendum
Temporibus celebrare cantû.
Fernandus hic est nomine ab inclyto
Sat praedicandus Borboniae domus,
Virtute quae fulgens avita
Per geminos tonuit triones;
Seu bellicoso strenua milite
Vires furentum comprimat hostium,
Seu pacis ornamenta libans
Ramum oleae referat virentis.
At illi honores deproperarier
Exinde nolo; non etenim lyrae
Videntur aptari iocosae
Altisono celebranda plectro.
Me nunc Tifatae me nemoris vocat
Vmbra hospitalis, grataque ramulis
Vnde unde textis, quaeque puro
Lympha fugax trepidat fluento.

Heic nempe magni Principis indoles
Immane quantum splenduit! o quibus
Curis, et impenso labore
Huic operi studuit parando!
Quo non profecto magnificentius
Vllum inveniri posse putabimus,
Seu Graeciae gazas beatas
Seu Latii monumenta verses.
Atqui minora haec prae reliquis erunt,
Quae singulari munificentia
FERNANDVS idem hoc luco in ispo
Omne genus decora explicavit.
Memor vetustae scilicet illius
Aetatis, unum compulit in gregem
Hinc inde palantes colonos,
Firma quibus statio daretur.
Et ne vacarent molliter otio,
Vel culpa rectum solveret ordinem,
Non poenitendis erudire
Legibus hunc populum sategit.
Leges per istas non ibi civium
Bacchatur ardor prava iubentium,
Non ira quae procudit enses
Et miseras inimicat urbes.
Sed quisque mores concoquit integros
Cultuque recto pectora roborat,
Fidesque culpari pavescit
Relligioque tenet priores.

*

Quid, quod secundis usque laboribus
Artes ibidem fixit, ut in dies
Crescente spe certa peculii
Moenia nobiliora surgant.
Et iam futuri temporis exitum
Feliciorem mens mihi nunciat,
Vrbemque iam claram videbo,
Solis ubi radii nigrescunt.
Sic est: ovato iam ter, et amplius
Popelle felix, te quid, et interim
Vere beatum reddit, uni
Borbonio referas patrono.
Qui nil Solonis iussa ratus, neque
Rhetris Lycurgus quidquid inunxerat,
Diviniori sanctionum
Forma aliis rapuit triumphum.

SVB IMAGINE JOSEPHI LVPOLI.

Si possent animi, ceu possunt corpora pingi,
Doctrina, et pietas quam bene picta foret.

JAHELIS PRAECONIUM

Quis Fatigatos, Sisara, urget artus
Torpor, ut vili iaceas sub antro?
Excute ignavos oculos sopore
Excute mentem:
Excute, et fractis propera ruentis
Imperi rebus, cape promtus horae
Dona: praeceps heu fuge, et imminenti
Consule dextrae:
En manu furtim generosa Jahel
Malleum, et clavum capiens trabalem
Vertici infigit male feriato
Ignobile lethum.
Insolens qualis facinus canora
Tibia sumet celebrare Musa?
Vna de multis duce de superbo
Vna triumphat.
Prisca nunc aetas sileat per omnes
Angulos orbis resonare nomen
Scaevolae. Jahel canat efficacis
Fortia facta.
Porsenam regem petit ille, at errans
Percutit scribam gladio; sed ista
Sinciput fregit Sisarae merentis
Vulnere certo.

Laudibus talem populus triumphum
  Tollat, et dicatur io triumphe!
  Laeta festivo geminetque ubique
    Carmina plausu.
At quid, o, Sancti cecinere Vates!
  Virginem Jahel, pariterque Jesum
  Clavus, haud fallor, Sisaraeque lethum
    Tartara signant.
Coelicam Jesus reseravit aulam,
  Ostium clausit grave olentis orci
  Virgo dum rector stygius minatur,
    Carcere fraenat.
Ergo caelestes potius triumphos
  Virginis grati referamus almae,
  Horridi, et vires Erebi refractas
    Imperiumque.

HYMNVS

IN

S. RAPHAELEM ARCHANGELVM

Custodem iuvenum dicite Virgines
Patronum, iuvenes, dicite Virginum
Alternis Raphaelem
Magnum dicite Principem.
Vos Tigrim meritis tollite laudibus,
Ereptumque feri piscis ab impetu
Tobiam, atque parenti
Coeco reddita lumina.
Vos contra simili promite carmine
Saram fraude stygis, coniuge septies
Orbam mox ope Divi
Junctam connubio pari.
Hic quamcumque luem, bellaque tristia
Avertit populo, hic rem quoque promovet,
Felicesque hymenaeos
Mox prolem egregiam dabit.

HYMNI
IN NATALEM
SANCTAE EVPHEMIAE
VIRG. ET MART. CHALCEDONENSIS
CIVITATIS MONTISPELVSII PATRONAE PRAESENTISSIMAE.

HYMNVS I.

Montis o custos populique Virgo,
Virgo, quae stellis redimita crines
Adsides Christo, resera precantum
Vocibus aures.
Ecce Te ritu colit Vrbs avito,
Ara dum flammis rediviva fulget,
Plena dum votis calet, atque sacro
Fervet ab aestu.
Hos fides cultus iubet: has merenti
Reddimus grates, redeunte sacra
Luce, dum cingunt Tibi laureatam
Lilia frontem.
Sic et insanas boreae procellas
Comprimas praesens, et amica dextram
Grandini obiectes; feriantque nullos
Fulmina campos.

Sic, et incassum sua tela daemon
Quasset in gentes; populoque vernet
Et salus, et pax, et abunda semper
Copia frugum.
Hinc Patri aeternas, Genitoque Verbo,
Et Tibi laudes, utriusque Flamen,
Inter alatas hilari cohortes
Voce canemus. Amen.

HYMNVS II.

Intactam pueri dicite Virginem,
Invictam populi dicite Martyrem,
Quae Mundi illecebras, fluxaque gaudia
Forti pectore respuit.
Frustra blanditiis ut sacra daemoni
Ferret pellicitur, fortiter obstitit;
Nec cessit rigidis vocibus hostium,
Tortorumve ferociae.
Promentem hinc roseus gaudia lucifer
Invenit querulo carcere Virginem,
Dum vires Dominus suppetit, et suam
Inspirat patientiam.
Hinc virgas, scuticas, verbera, et ungulas,
Ignesque, et gladios, atque rotam, et feras
Virgo non metuens, pacificam Deo
Festina obtulit hostiam.

Nunc ergo superis addita coetibus,
Nostrae prospicias provida Patriae
Et belli, atque famis, turbinis et minas
Nostris finibus amove.
Nostris, summa Trias, annue vocibus,
Da culpis veniam, da miseris opem,
Da lassis requiem; et sidera scandere
Nobis Euphemia impetret. Amen.

HYMNVS III.

Ex alto Olympi vertice
Coelestis aulae milites
Adeste, et almae duplicem
Deferte palmam Virgini.
Haec nempe Christi ad gloriam
Devota morti victima,
Victrix tyranni concidit,
Evecta ad agni nuptias.
Haec igne amoris aestuans
Contempsit ignis impetum,
Virgas, rotasque ferreas
Vultu sereno pertulit.
Ecquid tyranno profuit
Torquere corpus Virginis?
Dum vulnus addit vulneri,
Robur redundat martyri.

Mox ut precatur, bestiae
Ne intacta membra lingerent,
Vix una morsu compotem
Voti puellam reddidit.

Patri, Patrisque Filio,
Et sancto amoris Flamini
Hoc de triumpho Euphemiae
Det totus Orbis gloriam. Amen.

*

INSCRIPTIONES.

Scifellii ad Collegium PP. SS. Redemptoris.

QVAS . SIBI . AEDES
ALOYSIVS. ARNAVD. PRESBYTER. AVENIONENSIS
EX . INTEGRO . POSVIT . AN . MDCCLX
AC . MOX . PRESBYTERIS . SAECVLAR . SS. REDEMPTORIS
DIVINI . EVANGELII . PRAECONIBVS
PLENO . IVRE . DONAVIT
ALPHONSVS · DE · LIGORIO
SANTAGATHENSIVM . PONTIFEX
CONGREGATIONIS . INSTITVTOR
OB . SINGVLAREM . IN . HANC . DOMVM . PROPENSIONEM
LAXATIS . SPATIIS . AMPLIFICAVIT
AN . DOM . MDCCLXXVI

Capuae ad Seminarii frontem.

COENOBIVM

GVLIELMITARVM . MONTIS . VIRGINIS

STATIVO . MILITVM . PRAESIDIO . ADSIGNATVM

FERDINANDVS · IIII · P · F · A

CASTRIS . IN . ANTIQVAS . SEMINARII . AEDES

ABIRE . IVSSIS

CLERICORVM . CAMPANORVM . INSTITVTIONI

ADDIXIT

ANNO . DOM . MDCCLXXXV

INSTANTE · AVGVSTINO · GERVASIO

CAMPANAE . ECCLESIAE . ARCHIEPISCOPO

Francolisii in Dioecesi Calena.

DEO · OPT · MAX

QVO . PAROECIAE . SIBI . CREDITAE

PRISCVM . RESTITVERET . NITOREM

VINCENTIVS . ROSIVS

TEMPLVM . SQVALORE . OBRVTVM

MAGNIFICENTIVS . EXSTRVXIT

AN . REP . SAL . MDCCLXXXVII

Corneti in Apulia ad frontem Ecclesiae.

TEMPLVM
DEIPARAE . MARIAE . IOANNI . PRAECVRSORI
ET . SANCTO . BENVENVTO . IGVVINO
DICATVM
NE . INCOLAE . ET . COLONI . AGRI . CORETANI
CVIVS . APVD . EQVESTREM . ORDINEM . HYEROSOLYM
PLENVM . IVS . EST
ECCLESIAM . PETITVRI . HVC . ILLVC . OBERRARENT
FR. ALEXANDER . VILLANVS
EQVES . ET . BAIVLATVS . VENVSINI . PRIOR
A . FVNDAMENTIS . AERE . SVO . EXCITAVIT
ANNO . MDCCLXXXVIII
ARBITRATV . FR. IOSEPHI.FRANCONII.EQVITIS
ET . SPLENDIDISSIMI . ORDINIS
APVD . VTRIVSQVE . SICILIAE . REGEM . LEGATI
ADNITENTE . IGNATIO . CALVINO
EIVSDEM . BAIVLATVS . CVRAM . GERENTE
TV . HINC . PROCVL . ABESTO . PROFANE
NON . TIBI . HVC . ASYLI . SECVRITAS . PATET

181

In domo privata, instante amico.

QVAM . SVBIS . HAEC . HOSPES . DOMVS . EST . MIHI . STRVCTA . TIBIQVE

PARVA . QVIDEM . MVNDA . AT . PVLVERE . MVNDA . SITV

VT . MANEAS . SIVE . HINC . CEDAS . ERIT . AEQVA . POTESTAS

TEQVE . MANENTE . PATET . TEQVE . ABEVNTE . PATET

Palenae in Aprutio citeriori.

IOANNES . RAYNALLVCTIVS
CIVIS . OPTIME . DE . PATRIA MERITVS
PENNENSIVM . HADRIANORVMQ . PONTIFEX
VALETVDINARIVM
A . FVNDAMENTIS . SVA . PECVNIA . EXCITAVIT
DEDICAVITQVE . AN . MCCCCXLV
TEMPORVM . AT . LONGAEVITATE . RVINOSVM
SANCTISSIMI . ROSARII . SODALES
POPVLVSQ . VNIVERSVS . PALENENSIS
MAGNIFICENTIVS RESTAVRANDVM
CVRARVNT
ANNO . REP . SAL . MDCCLXXXIX

Venusiae in Templo SS. Trinitatis.

QVAM . PRAECLARAM . BASILICAM
SPLENDIDISSIMAE . VRBI . PAR . MONVMENTVM
HYMENAEO
DEORVM . OLIM . CVLTORES . VENVSINI
DEDICARVNT
HANC . CHRISTI . ATHLETARVM . LIPSANIS
INDVLGENTIISQVE . PIACVLARIBVS
DITATAM
VNI . MAXIMO . TRINO . QVE . DEO
NICOLAVS . II . PONTIFEX . MAXIMVS
SOLEMNI . RITV . CONSECRAVIT
LONGO . AT . TEMPORVM . INTERVALLO
SQVALORE . PAENE . OBSITAM
HERBERTVS.MIRELLIVS.E.THEORAE.PRINCIPIBVS
REFICIVNDAM . CVRAVIT
ARAM . MAXIMAM . DE . NOVO . POSVIT
PRESBYTERIVM . ADDIDIT
ANNO . CH . DOM . MDCCLXXXI

Ibidem ad Aram maximam.

DEO · OPTIMO · MAXIMO
CVIVS . SINGVLARI . PROVIDENTIA . ET . BENEFICIO
ANNO . REP . SAL . MDCXCIIII . MAII
INVENTA . AC . FIDELIVM . CVLTVI . RESTITVTA
PIGNORA . PRETIOSISSIMA . CORPORVM . SS. MARTYRVM
NOMINATAE. MATRIS. NATORVMQ. QVOS. CAELO. PEPERIT
VIATORIS . CASSIODORI . SENATORIS . QVAE
OBLIVIONE . SITV . SQVALORE . PENITVS . OBSITA
LATEBANT . ET . SEPVLCRO . HAVD . DIGNO . QVOD
TANTVM . CONDERET . THESAVRVM CONSIGNATA
FR. HERBERTVS . MIRELLIVS
EQVES . HIEROSOLYM . ET . BAIVLATVS . VENVSINI . PRIOR
ADDITO . SANCTI . ATHANASII . ABBATIS . CORPORE
QVOD . SINE . VLLO . ORNAMENTO . SECVBABAT
SVBSTRVCTO . SVB . ARA . MAXIMA . HYPOGAEO
IN . AMPLIOREM . ELEGANTIOREMQVE . LOCVM
SOLEMNIBVS . CAEREMONIIS . ET . POMPA
AD . PVBLICAM . FIDELIVM . VENERATIONEM
TRANSFERENDA . CVRAVIT
ANNO . CH . DOM . MDCCXCI

Asculi ad Seminarii frontem.

EMMANVELI . THOMASIO

SANCTAE . ASCVLANAE . ECCLESIAE

PONTIFICI

QVOD . HISCE . AEDIBVS . CVM . OMNI . ORNATV

AERE . SVO . EXCITATIS

IVVENTVTEM . HVC . ILLVC . PALANTEM

IN . VNVM . DOMICILIVM . COEGERIT

EIDEMQVE . OPTIMIS . DISCIPLINIS

SANCTISQVE . MORIBVS . INFORMANDAE

IMPENSO . CAVERIT . LABORE

MON . PVBLICE . POSITVM

AN . MDCCXCII

Frequenti in Principatu Vlteriori
in Eccl. SS. Rosarii.

SODALICIVM
TVTELAE . PRAESTANTISSIMAE
VIRGINIS · DEIPARAE
COMMENDATVM
TEMPORIS . INIVRIA . SQVALIDVM
IOSEPHVS ANTONIVS MARTINIVS
SPLENDIDISSIMAE . PHRATRIAE
PRAEFECTVS
IN . AMPLIOREM . FORMAM . RESTITVIT
TVRRIM . CAMPANARIAM
PROPE . COLLABENTEM . REPARAVIT
VESTIBVLVM . DE . NOVO
ELEGANTIVS . FACIVNDVM . CVRAVIT
ANNO . CH . DOM . MDCCXCIIII

187

Pollae ad Viam publ.

FERDINANDVS . IV . BORBONIVS

SICVLVS . ITALICVS . HIEROSOLYMITANVS

AGROS . A . IVGO . DIANAE . AD . POLLAE . MONTEM

TANAGRI . EXVNDANTIBVS . AQVIS

CORRVPTOS

FOSSA . PER . MILLIA . PASS . II

QVA . IN . SVBIECTVM . VALLVM . DECIDERENT

PER . TRANSVERSAS . ASPERASQVE . RVPES

INGENTI . MOLIMINE . ACTA

AGGERRIBVSQVE . MVNITA

FERACI SSIMOS . PRAESTITIT

AN . M D C C X C V

Stabiis in littoris secessu

FERDINANDVS · BORBONIVS

P . F . A

AQVAM . EX . DISPERSIS . FONTIBVS . PER
IVGA . MONTIVM . QVEIS . POSIDONIATES
NEAPOLITANVSQVE . SINVS . DISPESCITVR
QVA . RIVIS . SVBTERRANEIS . AD . M . PAS . XIII
QVA . CVNICVLIS . PER . TRANSVERSAS . RVPES
AC . PER . PVTEOLOS . DEMVM . ACTIS . IN
AVGVSTAE . DOMVS . STABIENSIS . OBLECTAMENTVM
TVM . ET . STATIONARII . MILITIS . AC . PORTVS
PAGORVMQVE . CIRCVMIACENTIVM . COMMODVM
DEDVXIT . ANNO . MDCCLXXXXV
INSTANTE . EQVITE . BARTHOLOMEO . FORTIGVERRA
REGIAE . CLASSI . PRAEFECTO . CVRA . AN
TONII . CIOFI . REG . ARCHITECTI . DOM . PERVSIA

Morrae in Hirpinis.

VIRGINIS · IN · CAELVM · ADSVMPTAE
AEDICVLAM
IOSEPHVS . DONATELLIVS
ARA . DE . NOVO . POSITA
IN . ELEGANTIOREM . FORMAM
PEC . SVA . RESTITVIT
ANNO . CHRISTI . DOM . MDCCXCV

Ibidem.

ARAM FAMILIAREM
DEIPARAE · VIRGINI
IOANNI . PRAECVRSORI
ATQVE . AEMYGDIO . MART
SACRAM
PAVLLVS . ANT . MANSIVS . IVRISCONS
ADDITIS . ORNAMENTIS
RESTITVIT . DEDICAVITQVE
AN . CIↃ . IↃ . CC . XCIIII

Nuceriae Paganorum
In Templo PP. SS. Redemptoris.

QVAM · CHRISTI · PATIENTIS · ICONEM
ALPHONSVS . DE . LIGORIO
SANTAGATHENSIVM . EPISCOPVS
IN . PENETRALI . VENERABATVR
NATI . PATERNAE . PIETATIS . HEREDES
CHRISTI . FIDELIBVS
PVBLICE . CONTEMPLANDAM
PROPOSVERVNT
AN . CH . SAL . MDCCCXVII

191

Potentiae in Lucania.

CARCEREM . FORO . SVBIECTVM

TENEBRIS . HORRIDVM . ET . PAEDORE

PROVINCIAE . SENATVS

IN . LAXIOREM . LOCVM

SALVBRIOREMQVE

TRANSTVLIT

VITAE . VSV . DATO . QVIBVS . VIVERE . DATVM

---

*

In Ecclesia Cathedrali Montis Pelusii.

M · ARCHANGELVS · LVPOLI

SANCTAE . PELVSIANAE . ECCLESIAE

PONTIFEX

LAXATIS . ARAE . MAXIMAE . SPATIIS

PRESBYTERIO . MARMORIBVS . CIRCVMSEPTO

CHORO . OMNI . CVLTV . EXORNATO

VETVSTO . BAPTISMATIS . FONTE

EX . PROFANO . AD . SACRVM . VSVM . RESTITVTO

BASILICAM · CATHEDRALEM

A . FVNDAMENTIS . EXCITATAM

DEDICAVIT . CONSECRAVITQVE

VI . KAL . OCTOBR . MDCCCII

PONTIFICATVS . SVI . ANNO . VI

193

Ibidem.

PRAELIATORI . PRAELIORVM . DEI

ARCHANGELO · MICHAELI

SANCTO . INVICTO

MICHAEL · ARCHANGELVS · LVPOLI

PELVSIANORVM . EPISCOPVS

SACELLVM . ET . ARAM . DE . SVO . P . AN . MDCCCXII

MILITIAE . CAELI . PRINCEPS . DVX . ARDVVS . HASTA

LVCIFERO . EVICTO . DIVINI . ADSERTOR . HONORIS

AEDEM . QVAM . PIVS . EXSTRVXI . TIBI . QVAMQVE . DICAVI

HEIC . SVPPLEX . ARAM . NE . DEDIGNERE . SED . AEQVVS

HOC . TEMPLVM . HANC . VRBEM . POPVLVMQVE . TVERE . PATRONVS

Fractae Maior. in Eccl. Paroch.

QVOD . BONVM . FELIX . FAVSTVMQVE

PATRIAE . SIET

HEIC . SVB . ALTARI . DEI

AD . TVTELAM . EXCVBANT

CORPORA . SANCTORVM

SOSII . LEVITAE . ET . MART . MISENAT

ET . SEVERINI . NORICORVM . APOSTOLI

AB . VRBE . PRINCIPE

IN . FRACTENSIS . MVNICIPII . ECCL ESIAM

INVECTA

II . KAL . IVNIAS . AN . MDCCCVII

In Monte Yrso in Eccl. SS. Virginis de Providentia.

MAGNA . DEI . MATER . SVMMO. QVAE . VERTICE . MONTIS
CVLTA . SEDES . ET . AB . VRBE . EVERSA . DICERIS . YRSI
HANC . AEDEM . HOS . AGROS . ET . PASCVA . LAETA . TVERE
TV . DIRAM . PROHIBETO . FAMEM . BELLVMQVE . LVEMQVE
AVERRVNCATO . PER . TE . STET . PVBLICA . SOSPES
RES . POPVLIQVE . SALVS . NAM . NOS . TIBI . RITE . QVOTANNIS
SOLLEMNE . AC . PATRIVM . FOEDVS . RENOVABIMVS. ATQVE
PRIMITIAS . FRVGVM . GRATI . HEIC . LIBABIMVS . OMNES

MATRI . DEI
MAGNAE . SANCTISSIMAE
MICHAEL . ARCHANGELVS . PELVSIANOR . PONTIFEX
VOTA . PRO . POPVLO

DEODATO · TARGIANIO

SVPREMI . SANCTIORIS . SENATVS . $\overline{VI}$ VIRO
REGIORVM . IVRIVM . PATRONO
QVI . PER . OMNES . MVNERVM . GRADVS
AD . SPLENDIDISSIMAS . DIGNITATES
MERITO . SVO . FACEM . PRAEFERENTE
POPVLOQVE . PLAVDENTE . EVECTVS
ITA.SE.OPERAMQVE.SVAM.VNIVERSIS.PROBAVIT
VT . EXPECTATIONI
QVAM . SVI . ABS . OPTIMIS . STVDIIS
EMENDATISSIMIS . MORIBVS
SOLIDA . RELIGIONE . DOCTRINA . MVLTIPLICI
IVDICIO . SVBACTO . INGENII . FELICITATE . ADMIRANDA
APVD . OMNES . EXCITARAT
CVMVLATISSIME . SATISFECERIT
HVIC . TANTO . VIRO
INGENVARVM . ARTIVM . AESTIMATORI
AVCTOR
IN . MVTILAM . CORFINIENSEM . INSCRIPTIONEM
COMMENTARIVM
IN . OBSERVANTIAE . SIGNIFICATIONEM
D. D. D.

BASILIO · PALMERIO

AEQVI . RECTIQVE . VINDICI . STRENVISSIMO

QVI

OPTIMIS . QVIBVSQVE . ARTIBVS . EXCVLTVS

QVAM . SIBI . IN . CAVSSARVM . PATROCINIIS

LAVDEM . COMPARAVIT

MOX . REGIS . OPTIMI . PROVIDENTISSIMI . VOTO

BONORVMQ . OMNIVM . PLAVSV

IN . SACRVM . CONSILIVM . ADLECTVS

INCREDIBILI . SOLERTIA . AVXIT

QVEMQVE . MODO

EXIMIA . IN . DEVM . OPT . MAX . PIETAS

SVMMA . ERGA . PRINCIPEM . FIDES

QVVM . AD . SANCTISSIMI . SENATVS

SEVIRATVM . EVEXERIT

N. N

IN . COMMVNI . ORDINVM . OMN . GRATVLATIONE

PATRONO . SVO . INDVLGENTISSIMO

REIQVE . PVBLICAE . NECESSARIO

FELICIA . OMNIA . ADPRECATVR

IOSEPHO · ROSSI

NICOSIENSIVM . ARCHIEPISCOPO

FERDINANDI · REGIS · AVGVSTI

A . CONFESSIONIBVS

THEOLOGO . NOSTRI . TEMPORIS . SVMMO

FIDE . CONSTANTIA . INGENIO . PRVDENTIA

ET . SINGVLARI

AD . ARDVA . EXPEDIENDA . DEXTERITATE

CVNCTIS . COMMENDATISSIMO

N. N

GRATI . ANIMI . TESTEM

DOMI . NATVM . LIBELLVM

Burgentiae in Principatu Citeriori.

LICTERIVS.IOSEPHVS.CARACCIOLVS

BVRGENTIAE . MARCHIO . X

ECCLESIAE . PATRONVS

SEPVLCRI . MONVMENTVM

HEREDITARIO . IVRE . SIBI . DELATVM

HVC

EX . NEGLECTO . SQVALIDOQVE . LOCO

MAIORVM . COLLECTIS . CINERIBVS

TRANSFERENDVM . CVRAVIT

ANNO . CIƆIƆCCLXXXVII

H . M . HEREDES . EXTEROS . NON . SEQVITVR

Poliniani in Ecclesia Monialium.

VT.QVAE.VOTIS.IISDEM.ADSTRICTAE.VIXERVNT

TVMVLO.MORTVAE.ADSTRINGERENTVR.EODEM

HANC . SIBI . COMMVNEM . QVIETIS . SEDEM

MONIALES . SANCTI . PETRI . ORD . CISTERCIENSIS

MORTALITATIS . MEMORES

POSVERVNT

ANNO . SAL . MDCCLXXXVIII

197

PERENNITATI . MEMORIAE

IOANNIS · BAPTISTAE · STELLAE

TARENTINORVM . PONTIFICIS

ET . ROCHI . STELLAE . FRATRIS

IMPERATORI . CAROLO . VI . A . SECRETIS

AC . IN . SVPREMO . ITALIAE . SENATV . CONSILIARII

ET . PETRI . LVCAE . STELLAE . FR . FILII

EQ . HIEROSOLYM . ET . LEG . HASTATAE . DVCIS

SODALICII . MODERATORES

MONVMENTVM

COMMVNI . VOTO . POSVERVNT

AN . REP . SAL . MDCCLXXX

POMPEO · MARIAE · MILIACIO

BENE . MERENTI . DVLCISSIMO

QVEM

VIRTVTE . ET . INGENIO

PRAECLARA . POLLICENTEM

MORS . PERME . DIAS . LAVDES

EX . TRANSVERSO . INCVRRENS

SEPVLCRO . IMPEGIT

THOMAS . PATER . INCONSOLABILIS

QVOD . A . NATO . EXSPECTABAT

IPSE . PRAETER . VOTVM

NATO . EHEV . POSVIT . MONVMENTVM

VIXIT . ANN . XXII . MENS . IIII

DECESSIT . AN . CH . MDCCXCII. III . NON . OCTOBR

QVOD . MORTALITATI . EXVENDAE

GENS . SEBASTIANA

SIBI . HYPOGAEVM . PARAVERAT

NICOLAVS . PETRONIVS . PATRICIVS . SENENS

ET . . . . SAMBIASIVS . PATRICIVS . CONSENT

IVRE . PER . TABVLAS . AD . SE . TRANSMISSO

ADDITIS . ARAE . ORNAMENTIS

SIBI . POSTERIS . QVE . SVIS

INSTAVRANDVM . CVRARVNT

ANNO . SAL . HVM . MDCCXCII

205

Salerni in sacello JESV *Christi Crucifixi.*

HEIC . IN . PVLVERE . DORMIT

IOANNES . DE . PROCHITA

SALERNITANAE . SCHOLAE . ALVMNVS

CLARVS . ILLE . SICVLI . VESPERI . AVCTOR

QVO

FRANCIS . VNA . HORA . ACERBO . FVNERE . MERSIS

TELLVS . DEFVIT

STRENVISSIMI . VIRI . MEMORIAM

NE . POSTERITAS . DESIDERARET

FABRICIVS . SPINELLIVS . TARSIENSIVM . PRINCEPS

SPLENDIDISSIMI . ORD . S . IANVARII . EQVES

ECCLESIAE . COMMENDATIONEM

INDVLGENTIA . FERDINANDI . REGIS . AVGVSTI

NACTVS

AERE . SVO . M . REFICIVNDVM . CVRAVIT

ANNO . SALVTIS . CIↃIↃCCXCIIII

Foveae in Apulia.

CAIETANO . DE . ROCCA
DOMO . MONTORIO
MORVM . INTEGRITATE . CONSILIO
ANIMIQVE . MODERATIONE
SPECTATISSIMO
QVI . FACTO . SVO . DOCVIT
EX . AMPLISSIMO . CENSV
NIHIL . OPTATIVS . ACCIPIENDVM
QVAM . PRODESSE . MORTALIBVS
ANGELA . PARISIA
CONIVX . DESOLATA
VINCENTIVS . IOSEPHVS . ET . ANTONIVS
FILII . EHEV . CONSTERNATI
M . POSVERVNT
VIXIT . ANN . LXXXIX . MENS . VI . D . XIII
TERRENA . FVNCTVS . PEREGRINATIONE
IIII . NON . MARTIAS . MDCCXCIII

Ibidem.

ANTONIA . VITALIS

VIRGO . INNOCENS . VERECVNDA

HEIC . CHRISTI . SPONSI . ADVENTVM

PRAESTOLATVR

FILIAE . BENE . MERENTI

VITVS . VITALIS . ET . MARIA . XAVERIA . BASSA

PARENTES . INFELICISSIMI

CONTRA . VOTVM . POSVERVNT

NATVRAE . CONCESSIT . AET . ANN . XXV.

XV . KAL . SEPT . AN . MDCCXCIIII

AVE . FILIA

VIVAS . IN . DOMINO . IESV

Fractae in Ecclesia Parochiali.

HEIC . IN . PACE . CHRISTI
BEATAM . EXSPECTAT . RESVRRECTIONEM
ANTONIVS . RVSSVS
VIR . PRISCAE . VIRTVTIS
QVI . INGENIO . MORIBVS . PIETATE
ET . VERBI . DEI . PRAEDICATIONE . DIVTINA
ECCLESIAM . PATRII . SOLI . NEDVM. CONTERMINAS. IVVIT
MOX . AD . NIVANENS . PAROCHIAE . CVRAM
DEVEXA . AETATE . ADCITVS
PASTORIS . INTEGERRIMI . PARTES
TANTA . ANIMI . ALACRITATE . EXPLEVIT
VT . SACRAE . IVVENTVTI . AD . LABOREM
OPEROSAE . SENECTVTIS . STIMVLVM . POSVERIT
AETERNITATIS . DOMVM . INGRESSVS
VIII . IDVS . SEPT . AN . MDCCCXI
VILLICATIONIS . SVAE . XXII
MARIA . MOCCIA . AVGVSTINI . FR . VXOR
ET . DOMINICVS . MOCCIA . DOLENTES . PP

Neapoli
In Ecclesia S. Petri ad Aram.

A ☧ Ω

ALOYSIVS . SALA
DOMO . ROMA
EXIMIAE . PIETATIS
EGREGIAEQVE . INDOLIS . ADOLESCENS
HEIC . IN . PACE . CHRISTI . DORMIT
QVI . SALVTI
SVB : LIBERIORE . CAELO . CONSVLTVRVS
MORTALITATEM . CVM . IMMORTALITATE
COMMVTAVIT
XVI . KAL . APRILES . AN . REP . SAL . MDCCCXVII
VIXIT . ANNIS . XXIIII
AETERNVM . VALE . ALOYSI
VIVAS . IN . DOMINO

In adparatu pro reditu DD. NN.

I.

FERDINANDO
REGI . AVGVSTO . INVICTO . PIO
PATRI . PATRIAE
ET
MARIAE . CAROLINAE
REGINAE . SOSPITAE . PACIFERAE
QVOD
AVSTRIAE . ET . ETRVRIAE
REGINAS . NATAS . SVAS . COMMODATVRI
EX . DIVTINA . PEREGRINATIONE . REDVCES
PRAESENTIA . ET . MAIESTATE . SVA
CIVES . OMNES . QVE . ORDINES . EXHILARAVERINT
CIVITATEM . QVE . REGNVM . QVE
IN . NOVAM . FIRMAM . QVE . PACIS . SPEM
EREXERINT
ORDO . POPVLVS . QVE . NEAPOLITANVS
SVPPLICATIONE . INDICTA
FAVSTA . ET . FELICIA . COMPRECATVR

II.

QVOD . FELIX

FORTVNATVM . QVE . SIET

FERDINANDO · BORBONIO

MARIAE · CAROLINAE · REGINAE

DOMINIS . NOSTRIS

VNIVERSAE . QVE . DOMVI . AVGVSTAE

ORDO . ET . PLEBS

NEAPOLITANORVM

PERPETVAM . INCOLVMITATEM

FAVSTITATEM . PERENNEM

REGNI . AMPLIFICATIONEM

VOTIS . ET . PLAVSV

ADPRECATVR

Nuceriae Paganorum.

In adparatione Festi Beatific. ALPHONSI M. DE LIGORIO Episcopi S. Agathae Gothorum.

I.

In arcu temporario ad viam.

SISTE PARVMPER ITER PERGAS QVOCVMQVE VIATOR
HAEC TE QVAE SVRGIT MOLES INVITAT EVNTEM
AD PRIMVM ALPHONSO INDICTVM DE MORE TRIVMPHVM
I PROPERA INGREDITOR TEMPLVM VENERARE BEATVM

II.

Ad arcum alterum.

PONTIFICI ALPHONSO STATA NVNC SOLLEMNIA PRIMVM
QVEM VIRVM APOSTOLICVM MAGNIS VIRTVTIBVS AVCTVM
SEPTIMVS ADSCRIPSIT PIVS INSERVITQVE BEATIS
EIA AGITE AD TEMPLVM POPVLI PROPERATE FREQVENTES

III.

Ad Templi fores.

CAELESTES PROCERES PORTAS ADTOLLITE VESTRAS
ET CITO PANDATVR DOMVS OMNIPOTENTIS OLYMPI
ALPHONSVM SVBLIMI INVECTVM ECCLESIA CVRRV
LAETA TRIVMPHANTEM VOTIS COMPLEXA PRECATVR
PERQVE SVVM NOMEN IVRANDA ALTARIA PONIT
QVISQVIS ADES LINGVA FAVEAS ET ADESTO TRIVMPHO

IV.

Supra ianuam intrinsecus

Periocha.

EDITVS ALPHONSVS PRAECLARO SANGVINE AVORVM
SED GENVS ET PROAVOS ET QVAE NON FECERAT IPSE
HAVD REPVTANS VNA VIRTVTE ILLECTVS AVITOS
ET TITVLOS ET OPES PHRATRIAEQVE SEDILIA SPREVIT
CAVSSIDICI HINC IVVENIS PERFVNCTVS MVNERE DOCTO
IMPLEVIT SERMONE FORVM CAVSSASQVE CLIENTVM
INTEGER ET CASTVS SIC IPSE FIDELITER EGIT
VT FAMA TOTAM SIBI PARTA OPPLEVERIT VRBEM
MILITIAE CHRISTI ADCITVS CAELESTIBVS IDEM
AVSPICIIS SEMPERQVE ANIMO MAIORA VOLVTANS
ECCE VOCAT SCRIBITQVE VIROS VIRTVTE SVBACTOS
QVI CHRISTI IN VINEA MVLTO SVDORE LABORANT
VNDIQVE DEIN IACIENS DIVINI SEMINA VERBI
MVLTA TVLIT FECITQVE SENEX SVDAVIT ET ALSIT
MVLTA QVOQVE ET PASSVS STYGIO LVCTANTE DRACONE
DVM REGERET PLEBEM PASTOR QVAM SANGVINE CHRISTVS
QVAESIVIT MOX INCVRVICERVICVS ET ANNIS
IAM GRAVIOR RECEPIT SVA SE SE IN CLAVSTRA ONEROSO
DEPOSITO IAM FASCE VIAMQVE ADFECTAT OLYMPO
MORTE OBITA SIC TOT SIGNIS INCLARVIT IPSVM
SEPTIMVS VT PIVS AD SACRAS EVEXERIT ARAS

V.

Ad aram maximam.

PHOENICI SIMILIS PVRO CONSVMPTVS AMORE
CHRISTE TVO ET VIXI ET PERII HINC SVPER AETHERA VECTVS
DIVINO AETERNVM TECVM FRVITVRVS AMORE
EXCIPIOR CAELIS TERRA ADNVMERORQVE BEATIS
VT CAELO ET TERRIS VIRTVTI HABEANTVR HONORES

VI.

Ad arae dexteram.

MACTE ALPHONSE TVA VIRTVTE ET MACTE TRIVMPHO
QVIPPE BONVS CHRISTI MILES CERTAMINA BELLI
HAVD PIGVIT TERRIS NOCTV CERTASSE DIVQVE
ET SERVASSE FIDEM SPATIVMQVE VIRILITER AEVI
CONSVMMASSE BREVIS TIBI NVNC IVRE VNDIQVE LAVDIS
HYMNVM PLAVDIT IO TELLVS CAELVMQVE BEATO

*

VII.

Ad laevam.

ALPHONSE IN TERRIS PIETAS QVEM ORNARAT ET AVLA
QVEM NVNC CAELESTI MAGIS IGNIS PVRIOR VRGET
PONTIFICEM SVMMVM TV PETRI REGNA TENENTEM
ROBORE APOSTOLICO FIRMES ABIGASQVE PROCELLAS
TV REGNVM REGEMQVE TVVM PROLEMQVE TVERE
BORBONICAM SEMPER QVAM FORTVNARE MEMENTO
TV NATOS DEFENDE TVOS REFERANTQVE PARENTEM
ATQVE OPVS IPSE TVVM PROFER QVA SVRGIT AB ORTV
QVA SOL OCCIDVAS PRONVS FESTINAT IN VNDAS

VIII.

Ad duo miracula in Beatificationis decreto expressa.

1.

EXSECTA HEV FERRO QVAM VRENS GANGRENA VORAVIT
PRAESIDIO ALPHONSI CONFESTIM ET NVMINE MAGNO
MAMMA ITERVM TVRGET PLENOQVE E PECTORE MANAT

2.

VIX VOCAT ALPHONSVM PHTHISI MORITVRVS AT ILLE
DEXTER ADEST PVLSA VT MORBI VI PROTINVS AEGER
EXSILIENS SVRGAT GRATES SOLVATQVE BEATO

IX.

Ad duo Matris Dei in Beatum Alphonsum benevolentiae signa.

1.

FOGIA TE **DIVAE** VELO SEPTEMPLICE TECTAE
RARO VISENDAM QVAE SE EXHIBET VNDIQVE CINCTVM
LVMINE CONSPEXIT MIRATA PARENTIS AMOREM

2.

ATQVE ITERVM **MATRIS** RADIANTE AB IMAGINE VVLTV
SVGGESTV ABREPTVM POPVLO PLAVDENTE FREQVENTI
ET CIRCVMFVSVM TE LVMINE VIDIT AMALPHIS

Neapoli
In sollemni adparatu eiusdem festi in Sodalicio Sacerdotum Conferentiae.

Supra portam forinsecus.

ALPHONSO · MARIAE · DE · LIGORIO
CAELITVM . CHORIS . ADSCRIPTO
QVOD . HEIC
APOSTOLICI . MVNERIS . TYROCINIO . POSITO
NOVAM . OPERARIORVM . SOBOLEM
AD.DIFFLVENTES.PLEBIVM.MORES.CORRIGENDOS
IN . AGRVM . DOMINICVM . CONDVXERIT
ET . APOSTOLICAS . MISSIONES
AD . SVMMVM . EVEXERIT . FASTIGIVM
SACERDOTVM·MATRIS.DEI.IN.CAELVM.ADSVPMTAE
SODALITAS . EXSVLTABVNDA
AD.COMMILITONIS.SVI.AEMVLANDA.CHARISMATA
PVBLICA . SVPPLICATIONVM . SOLLEMNIA

CLASSIS SECVNDA

Ad funebres pompas pertinentium.

In funeris adparatione pro Alphonso M. de Ligorio
Episc. S. Agathae Gothorum
in Ecclesia Collegii Scifelliani.

QVOI . QVOI . PLACET . EXEQVIAS . IRE

PVBLICVM . FVNVS . EST

ALPHONSO . DE . LIGORIO

PARENTI . MERENTISSIMO

IVSTA . PARENTALIORVM . OFFICIA

PRESBYTERI . SS . REDEMPTORIS

PERSOLVVNT

II.

ALPHONSO DE LIGORIO

PONTIFICI MERENTISSIMO

DIVINARVM HVMANARVMQVE RERVM

DOCTRINA EXCVLTISSIMO

HVIC VERO TEMPORI NECESSARIO

QVI

VIRTVTIBVS OMNIBVS AB AETATE PRIMA AD MIRACVLVM ENITVIT MOX A TOGATA MILITIA IN QVA SVMMO CVM PLAVSV ADOLESCENS VERSABATVR AD ECCLESIASTICAM CONVERSVS MIRA ANIMARVM LVCRANDARVM STVDIO SVCCENSVS PATERNAE DOMVS FASTVM AVITVMQVE PATRIMONIVM CONTEMPSIT AC DIFFLVENTIBVS SAECVLI MORIBVS TAMQVAM AGGEREM OBIECTVRVS CONGREGATIONEM SANCTISSIMI REDEMPTORIS ARDVO SANE MOLIMINE FVNDAVIT EVANGELII PRAECONIO SCRIPTVRARVM EXPLANATIONI PONDEROSIS LVCVBRATIONIBVS CONSCRIBENDIS INFIMAE PLEBI INSTITVENDAE MAXIMIS IVXTA AC MINIMIS MINISTERIIS INDEFESSVS VACAVIT AD SANTAGATHENSEM CATHEDRAM INVITVS AC MOERENS PERTRACTVS BONI PASTORIS PARTES OMNES EXPLEVIT VT FORTITVDINE POTISSIMVM AC PAVPERTATE VEL PVRIORIBVS ECCLESIAE SAECVLIS INVIDIAM

CREAVERIT PONTIFICATV ABDICATO CONGREGATIONEM REPETENS IN APOSTOLICOS LABORES VELVTI DISCVSSA SARCINA SE TOTVM CONIECIT RELIGIONE HINC ORNATA SAECVLI MORIBVS PVRGATIS FROENO LICENTIAE INIECTO EVANGELICAE LEGATIONIS CVRSV CONSVMMATO CORPORE LABORIBVS EXHAVSTO PLENVS ANNIS PLENVS MERITIS PLENVS HONORIBVS IIS QVOQVE QVOS RECVSAVIT IMPAVIDVS ET SECVRVS SANCTITATIS EXIMIAE FAMA QVA QVA VERSVS DIFFVSA QVOD VLTIMVM RESTABAT MORTALITATEM CVM IMMORTALITATE COMMVTAVIT KAL. AVG. ANNO CHRISTI IESV DOMINI NOSTRI M. DCC. LXXXVII.

III.

HAVE ALPHONSE

VIVAS IN DEO

QVAM CITO EHEV CONGREGATIONI

SVPPOSITVM EXIMIS HVMERVM

MERITAM AT QVANDO RECEPTVRVS CORONAM

ABIS

RESPICITO DE SEDE BEATA

SVPER FAMILIAM TVAM

SVPER ET NATOS TVOS

QVOS ORBOS LINQVIS ET DESOLATOS

In funere Francisci Capassi
in Ecclesia Parœciali Fractae Maioris.

I.

RESISTE PARVMPER VIATOR
TE PIETAS VRGET
SAXEVS NISI PROPE FVAS
FVNERI VT ILLACRVMERIS
FRANCISCI CAPASSI
EHEV MORS OMNIBVS INSTAT
OCYVS SERIVS
TE QVOQVE IN TVMVLVM VRGEBIT

II.

FRANCISCVS CAPASSVS
IN QVO OMNE GRATIARVM DECVS
NATVRA CONSVMPSERAT
VIRTVTE ET INGENIO POTENS
PIETATE CLARISSIMVS
HOC VNVM IN SVOS PECCAVIT
QVOD ABIENS
INGENTEM SVI LVCTVM DESIDERIVMQVE RELIQVERIT

III.

FRANCISCVS CAPASSVS

EMERITAE FIDEI VIR

MVLTA QVVM HABVIT NIHIL HABVIT

INGENTIBVS ADEO LARGITIONIBVS

ESVRIENTEM PLEBEM SVSTENTAVIT

QVAE MALORVM EXTREMVM ID PVTAT

EVM SIBI PRAEREPTVM

CVIVS PIETATE MALA TOLLERARE ADSVEVIT

QVIQVE

QVVM VIVENS SOLOS QVOS IGNORAVIT NON ALVERIT

MORIENS PATRIVM TECTVM ORPHANIS

ADSIGNAVIT

PATRIMONIVMQVE PAVPERIBVS

FACILEM SVI ADMIRATIONEM

IN PATRIA RELINQVENS

DIFFICILEM AEMVLATIONEM

DECESSIT III. IDVS OCTOBR. MDCCLXXXIV.

In funere Josephi Lupoli

Ibidem.

I.

IOSEPHO LVPOLI
PARENTALIA
PERSOLVVNTVR
QVI QVI TRANSIS INTROGREDERE
PACEM ILLI ADPRECATVRVS

II.

QVIETI AETERNAE
IOSEPHI LVPOLI
PRESBYTERI DOCTISSIMI
QVEM
VIRI PROBI COLVERE
SVSPEXERE ET IMPROBI
NVNC OMNES LVGENT
AC MAGE MISERI
OPE DESTITVTI ET CONSILIO
FRATRI DESIDERATISSIMO
LAVRENTIVS
AD LVCTVM RELICTVS
VIXIT AN. LXXIV.

III.

NIL QVIDQVAM MORS DIRA NOCES IN FVNERE IVSTI
NEC TVA TELA GRAVANT NEQVEAS QVEM INCLVDERE SAXO
ADSTAT QVOI PROBITAS VIRTVTVM ET FAMA SVPERSTES
QVEM TVMVLI INDIVVLSA COMES SVSPIRAT HONESTAS
SCILICET IS TOTO IOSEPHVS TEMPORE VITAE
EXSTITIT ET NVMQVAM VIRTVTIS TRAMITE FLEXIT
IVSTITIAE CVLTOR CONSTANS PATIENSQVE BENIGNVS
PAVPERIBVS LARGVS MISERIS SOLATIA PRAEBENS
ELOQVIO CLARVS NVLLI PIETATE SECVNDVS
MAGNANIMVS SAPIENS SOLLERS PRVDENSQVE FIDELIS
I NVNC IOSEPHVM TORVO MORS INVIDIA VVLTV
TERRETO ATQVE TVAS IN EVM OMNES EXERE VIRES

IV.

Sub imagine.

SI POSSENT ANIMI CEV POSSVNT CORPORA PINGI
DOCTRINA ET PIETAS QVAM BENE PICTA FORET

V.

Periocha.

IOSEPHVS LVPOLI PRESB. AVERSANVS
VIR GRAVITATE FIDE CONSTANTIA ATQVE PIETATE CLARISSIMVS INGENIVM A NATVRA SORTITVS EST VERSATILE AC PLANE PRAESTANS INTERIORIBVS LITTERIS ET CVLTIORI ERVDITIONE NEMINI FORTASSE SECVNDVS SACERDOTIO INAVGVRATVS ARCTIOREM AMPLEXVS EST DISCIPLINAM IN ECCLESIASTICA IVVENTVTE INSTITVENDA SE TOTVM CONSVMPSIT EO RATIONEM OMNEM INTENDENS VT QVAM LABORIOSIS VINEAE DOMINI CVLTORIBVS ECCLESIA GAVDERET TVM POPVLORVM SALVTIS STVDIOSISSIMVS IN FIDEI PRAEDICATIONE SEDVLVS IMPIGER STRENVVS VIGINTI PAENE ANNOS CONTRIVIT VIR ET NATVRA ET INSTITVTO AD DIGNITATEM FACTVS A DIGNITATIBVS ABHORRVIT CELSITVDINEM ANIMI TANTA MISCVIT DEMISSIONE VT VEL MINIMIS SE SE FACILE VEL EXAEQVARET VEL SVBIICERET SVAM INDVSTRIAM DEXTERITATEM PRVDENTIAM ET EXQVISITVM IVDICIVM

OMNIBVS PROBAVIT NEC VLLVS EO FELICIOR SIVE IN ANIMORVM AESTIBVS COMPESCENDIS SIVE IN MOTIBVS SEDANDIS SIVE IN IVRGIIS ET DISSIDIIS COMPONENDIS QVOS POTVIT ET QVA QVA POTVIT OPERA ETIAM IN VITAE DISCRIMINE NON RARO POSITVS IVVIT PAVPERES PER DOMOS VESTIGABAT PROLIXAS ELARGITIONES IN SINV EORVM ABSCONDERE SOLITVS DOMVI SVAE EA PRAEFVIT SEDVLITATE VT SI QVA PARTE VEL PIETATIS IN DEVM VEL PACIS ET CONCORDIAE INTER SE NERVVS ELANQVISSET OPPORTVNE EI MEDENDAE PARTI OCCVRRERIT FRATRIS FILIOS QVOS IN TIMORE DOMINI INSTITVIT MAIORVM PROPOSITIS EXEMPLIS AD VIRTVTIS VIAM TERENDAM PROVOCAVIT DEMVM QVVM SIBI ET SVIS ET PATRIAE CVMVLATISSIME SATISFECERIT TRANQVILLITATE INCREDIBILI VELVTI MISSIONE DE CORPORE ACCEPTA IN DOMINO QVIEVIT

III. IDVS APRILES

ANNO M. DCC. LXXXVII

QVO MORTVO NON LEVE VVLNVS

PATRIAE INFLICTVM

In funere pro Caroli III. Hispaniarum Regis. Neapoli in Ecclesia S. Jacobi Gentis Hispanae.

I.

CAROLO III.

HISPANIARVM . NOVI . QVE . ORBIS . MONARCHAE

EXTREMA . PIETATIS . OFFICIA

CHRISTIANO . RITV . PERSOLVVNTVR

INGREDERE . QVISQVIS . ES

ET.AETERNI.REGNI.CVM.CHRISTO.CONSORTIVM

PRINCIPI.OPTIMO.MAXIMO.BENEMERENTISSIMO

ADPRECATOR

II.

HEM . QVALIS . QVANTVS . QVE . HEROS

IN . ORBE . TERRARVM

DESIDERATVR

QVVM . RELIGIO . IVSTITIA . HVMANITAS

CLEMENTIA . MANSVETVDO . BENEFICENTIA

LAMENTANDO . LESSVM . MORTVO . FACIANT

III.

CAROLO III. BORBONIO

HISPANIARVM.ORBIS.QVE.ALTERIVS.MONARCHAE.P.F.A
PHILIPPI . REGIS . F . LVDOVICI . DELPHINI . N
LVDOVICI . MAGNI . GALLIARVM . REGIS . PRON
BONO . ORBIS . TERRARVM . NATO
QVI . VTRIVS . QVE . SICILIAE . REGNO
ARMIS . VINDICATO . ATQVE . RESTITVTO
PACE . TERRA . MARI . QVE . PARTA
POPVLORVM . SVORVM . INCOLVMITATI
PATERNA . ADEO . CLEMENTIA . PROSPEXIT
VT.HINC.AD.HISPANIAS.REGVNDAS.EVOCATVS
QVO . SVI . DESIDERIVM
ALIQVA.PARTE.SVIS.LENIRET.AC.MITIGARET
FERDINANDVM . FILIVM
VIVAM . PATERNAE . VIRTVTIS . IMAGINEM
REGEM.VTRIVS.QVE.SICILIAE.RENVNTIAVERIT
MOX . HISPANIA . NOVIS . COLONIIS
ET . ARTIBVS . AMPLIFICATA
AC . TOT . TAM . QVE . DISSITIS . REGNIS
RELIGIONE . AC . LEGIBVS . SAPIENTISSIME . FIRMATIS
DEBITVM . NATVRAE . PERSOLVIT
VIXIT . ANNOS . LXXIII . REGN . AN . LIV
DECESSIT . ANNO . MDCCLXXXVIII

IV.

CAROLVS III·
REX . AVGVSTISSIMVS
POPVLORVM . COMMODIS . ET . FELICITATI
SEMPER . INTENTVS
PORTVM . AMPLIAVIT
VIAS . VETVSTATE . CORRVPTAS . REFECIT
ALIAS . QVE . APERVIT . ET . COMMVNIVIT
REGNI . PAVPERIBVS
HOSPITIVM . PARAVIT . ELEGANTISSIMVM
IN . QVO . ARTES . OMNES . EDISCERENT
CASERTAE . PRAETORIVM
AMPLITVDINE . AC . MAGNIFICENTIA
SANE . ADMIRANDVM . A . FVNDAMENTIS . EREXIT
AQVA . IVLIA . PER . STVPENDOS . FORNICES
ET . MONTES . PERFORATOS . PLVS . MINVS . XXV . M . PAS
IN . DOMVS . AVG . ET . POPVLI . COMMODVM . DERIVATA
CASTRENSI . DISCIPLINA . INSTAVRATA
IN . PRAECIPVIS . REGNI . VRBIBVS
INGENTIA . STATIVA . PRAESIDIA . CONSTITVIT
QVID . NON . POSTHAC . FACTVRVS
NISI . TANTVM . PRINCIPEM
HISPANIAE . NOBIS . INVIDISSENT

V.

CAROLVS . III

HISPANIARVM . REX

HERCVLANEO . POMPEIIS . STABIIS

IAMDVDVM . VESEVI . CONFLAGRATIONIBVS

SVBVERSIS . AC . SEPVLTIS

A . SE . PRIMITVS . INSIGNI . IMPENSA . SVA

STVDIO . QVE . INCREDIBILI . ERVDERATIS

LONGE . ILLVSTRIOREM

QVAM . ALII . POPVLORVM . DOMITORES

POPVLANDIS.ATQVE.EVERTENDIS .VRBIBVS

SIBI . GLORIAM . PEPERIT

VI.

CAROLVS . III

QVOD.REGNVM.NEAPOLITANVM.ET.SICVLVM
RESTITVTO.PER.PRAESENTIAM.SVAM.SPLENDORE
EREXERIT.SAPIENTISSIMIS.LEGIBVS.EMENDARIT
IMMORTALIBVS . OPERIBVS . AVXERIT
ARTIBVS . VNDE . VNDE . ACCITIS . ERVDIERIT
AC . LOCVPLETARIT
AETERNVM . SVI . DESIDERIVM . IN . HISPANIAS
CONCEDENS . RELIQVIT
EO . QVE . IPSO . NEAPOLITANIS . AC . SICVLIS
MAXIME . CARVS . AC . DESIDERANDVS
QVOD . RELICTO . HEIC . SVCCESSORE . FILIO
FERDINANDO . IV . SVI . SIMILLIMO
NE . DESIDERARETVR . EFFECIT

Neapoli in funere eiusdem Caroli III.
in Phratria SS. Sacramenti Equitum Hispanorum.

I.

Supra templi fores extrinsecus

HVC VOTA HVC ANIMVM

ADVORTE

CIVIS HOSPESVE FVAS

CAROLO III HISPANIAR MONARCHAE

SACRI HISPANORVM EQVITVM COETVS

MODERATORI PRIMO

PACEM ET REQVIETEM PVRA MENTE

ADPOSCITO

II.

In tumuli fronte qua parte fores spectat.

HOSPES SISTE ET LAGRVMA

HIC ILLE CAROLVS BORBONIVS

PHILIPPI V HISPANIARVM REGIS FILIVS

POPVLORVM PACIFICATOR INVICTVS AVGVSTVS

QVI

MAIORVM SVORVM VESTIGIIS INSISTENS

EX RELIGIONE

IVSTITIAM ET MORES INNOCENTISSIMOS

EX HVMANITATE CLEMENTIAM ET MANSVETVDINEM

EX MAIESTATE MVNIFICENTIAM

EXPRESSIT

QVIQVE VNAM RATVS VERAM ESSE FELICITATEM

POPVLOS REDDERE FELICES

DVM PVBLICAE SALVTI EXCVBAT

FATO EHEV QVANTVM IMPORTVNO INTERCIPITVR

IV.

In reliquis tumuli lateribus hinc inde.

CAROLO III

HISPANORVM REGI INCLITO PROVIDENTISSIMOQVE

QVOD QVVM

SAECVLI FELICITAS EVM VTRIVSQVE SICILIAE

RECTOREM DEDIT

VRBIS AMOR REGNI DELICIVM ORBIS MIRACVLVM

EXSTITERIT

QVOD PACIS ARTIBVS CLARISSIMVS

LITTERIS PROPE INTERMORTVIS

SPIRITVM AC LVCEM REDDIDERIT

QVOD CIVIVM COMMODO

BIBLIOTHECAM AMPLISSIMAM

ET DVO INSVPER GAZOPHILACIA

VETERVM MONVMENTORVM

EREXERIT

PRINCIPI OPTIMO MERENTISSIMO

LITTERARVM BONARVMQVE ARTIVM

RESTITVTORI

EQVITES HISPANI GEMEBVNDI PP

V.

SECVRITATI PERPETVAE

CAROLI III

HISPANIARVM ORBISQVE ALTERIVS

MONARCHAE CATHOLICI

AVGVSTI TRIVMPHATORIS INVICTI

QVI PORTV AD COMMERCIA FREQVENTANDA

VIIS ET OPERIBVS QVAM MVLTIS EXCITATIS

POPVLORVM VOTA LONGE SVPERGRESSVS EST

QVI RELIGIONE PIETATE

CETERISQVE REGIIS ANIMI DOTIBVS

SAECVLO ORNATO

SVI NOMINIS GLORIA AETERNITATI COMMENDATA

EX TERRENIS REGNIS

IN BEATAM CAELI SEDEM EVECTVS

DIFFICILEM SVI IN TERRIS

RELIQVIT REGIBVS AEMVLATIONEM

Venusiae pro funere eiusdem Caroli Regis in Ecclesia Cathedrali.

Ad Templi Januam forinsecus.

I.

LVCANVS . AN . APPVLVS
QVICVMQVE . INGREDERIS
FVNERI . EHEV . ILLACRVMA
CAROLI · III.
HISPANIAR . REGIS . CATHOL. POTENTISSIMI

Supra Januam intrinsecus

II.

IN . AETERNITATE . TEMPORVM
TVAE . VIRTVTIS . FAMA . DVRABIT
CAROLE · REX
QVANDO . PER . TE
POPVLIS . SALVS . ET . TRANQVILLITAS
SACERDOTIO . DIGNITAS
RELIGIONI . ET . PIETATI . DECVS
RESTITVTVM . EST

*.

In lateribus tumuli

V.

LITTERAE . ET . ARTES . LIBERALES
AB . INTERITV . VINDICATAE
CAROLI . III . NOMEN
IMMORTALITATI . COMMENDANT
QVOD . PRAECIPVE . EARVM . CVLTVM
BONO . POPVLORVM . MAXIMO
IN . CVNCTIS . REGNI . PROVINCIIS
PROPAGAVERIT . ET . AVXERIT

VI.

MAGNO . INVICTO . REGI
CAROLO . III . BORBONIO
FVNDATORI . PACIS . PERPETVAE
POPVLORVM . PARENTI . MERENTISSIMO
QVOD . AVITIS . REGNIS . RECIPERATIS
NOVAM.APTISSIMAM.QVE.POLITIAE.FORMAM
APPVLIS . LVCANIS
AC . PROVINCIALIBVS . VNIVERSIS
DEDERIT
ORDO . POPVLVS . QVE . VENVSINORVM
DOMINO . DESIDERATISSIMO . M . P

VII.

CAROLVM III.

REGEM . INCLITVM . SEMP . AVG

QVOD . GRATO . PROVINCIALIVM . ANIMO

CONTENTVS

MAXIMA . INDVLGENTIA . AC . LIBERALITATE

II-S . PLVRA . CENTENA . M . NVM

LIBENS . II-S . REMISERIT

VENVSINI . CIVES

PRINCIPEM . BENEFICENTISSIMVM

TERRIS . COMMODATVM

NVNC . HEV . ADEMPTVM

VOTIS . INCENSISSIMIS . ET . LACRIMIS

PROSEQVVNTVR

In Anniversario Funere Iosephi Danielii
Ad divi Clementis in cognomine pago Casertani agri

I.

Supra Templi januam.

IOSEPHO · DANIELIO

PVBLICE . PARENTATVR

HAVD.ACERBIORI.QVISQVAM.ELATVS.FVNERE.EST

CVI.PAR.MERITIS.ALTER.NON.OBIIT.CIVIS

FVNDE . PRECES . QVISQVIS . INGREDERIS

II.

In antica temporarii mausolei parte.

MEMORIAE . ET . QVIETI . AETERNAE

IOSEPHI · DANIELII

PATRITII . SYRACVSANI . ET . CAMPANI

VIRI . HVMANIORVM . LITTERARVM

HAVD.MINVS.QVAM.SEVERIORVM.DISCIPLINARVM.CVLTV

SPECTATISSIMI

QVIQVE . AD . HONESTATIS . FORMAM . PROPE . FACTVS

TANTA . APVD . ORDINES . OMNES . CLARVIT . FAMA

QVAM . ET . TEMPORVM . ACERBITAS

INCREDIBILI . ANIMI . FORTITVDINE . AB . EO . TOLERATA

LONGE . PLVRIMVM . AVXIT

VT.VERE . SVI . TEMPORIS . PHILOSOPHVS . CHRISTIANVS .

CONSTANTI . OMNIVM . IVDICIO . AVDIERIT

HVIC

FRANCISCVS . FRATER . ET . DOMINICVS . FILIVS

ANNIVERSARIA . PARENTALIORVM . OFFICIA

PERSOLVENDA . CVRAVERE

DESIDERATVS . EST . NEAPOLI . PRID . KAL. NOVEMBRES

CIϽIϽCCCVII

ANNOS . NATVS . P. M. LXV.

III.

In agrum dextrorsum.

QVISQVIS . ES

MEIS . NE . ILLACRIMARE . CINERIBVS

MORTALE . QVOD . FVIT . SVRRIPVIT . MORS

POENA . HOMINIS . MISERI

AT . IMMORTALE . QVOD . EST

AETERNA . FRVITVR . SECVRITATE

TEQVE . OBTESTOR . TERRA

TENEAS . PARVMPER

TERREVM . MIHI . QVOD . COMMODASTI

CREDO . NAM . QVOD . IN . NOVISSIMA . DIE

SVRRECTVRVS . SIM

ET . IN . CARNE . MEA

VIDEBO . DEVM . SALVATOREM . MEVM

36

IV.

In agrum sinistrorsum.

HEV · INANES · MORTALIVM · CVRAS

FRVSTRA .HONORES.EX.MILITIAE.PERICVLIS

ET . NOMEN . EX . PVLVERE . LITTERARIO

QVAESIVI

NVNC . TANDEM . SECVRVS . QVIESCO

PERPETVAM . AB . ANXIETATE

NACTVS . VACATIONEM

QVIQVI · LEGIS

AETERNITATEM · COGITA

V.

In postica temporarii mausolei parte.

IN . PACE . CVM . CHRISTO . VIVAS . IOSEPHE

AT . NOSTRI . NON . OBLIVISCITOR

TANTIS . QVOS . LIQVISTI . IN . PERICVLIS

QVOS . AD . LACRIMAS . LIQVISTI

QVIN . SVPERAS . INGRESSVS . SEDES

RESPICE . HINC

CONIVGEM.DESOLATAM.FRATREMQVE.ET.NATVM

AMANTISSIMOS

ET . PATRIAM . TVI . ABITIONE . CONCISAM

IOSEPHE . VIVAS . IN . PACE

*

In funere M.ª Carolinae Austriacae Siciliar. Reginae in Cathedrali Ecclesia Montis Pelusii VII. Id. Octobr. MDCCCXV.

I.

Supra Templi fores extrinsecus.

CIVES . VESTRAM . OPEM

VESTRA . NVNC . ROGAT . SVFFRAGIA

MARIA·CAROLINA·AVGVSTA

INGREDIMINI

ET . PIA . PRECE . VOTIS . QVE

AETERNAM . IN . CHRISTO . PACEM

REGINAE . BENE . MERENTISSIMAE

ADPOSCITE

II.

Intus supra Templi portam.

HAEC · ILLA · MARIA · CAROLINA

FERDINANDI . DOMINI . NOSTRI . REGIS

CONIVX

QVAE . FACTIS . ET . CONSILIIS

REM.NEAPOLITANAM.PVBLICAM.PAENE.PESSVMDATAM

RESTITVIT

EHEV.QVAE.POPVLORVM.ERAT.AMOR.ET.EXSPECTATIO

NVNC.DOLOR.EST.AERVMNA.ET.LACRVMAE

OBIIT . VINDOBONAE . IN . NATALI . SOLO

VII . EIDVS . SEPTEMBRES . CIↃIↃCCCXIV

III.

In fronte tumuli, qua parte fores spectabar.

HEV . SPES . MORTALIVM . FALLACES

MARIAM · CAROLINAM

IN . MEDIO . MAGNARVM . RERVM . CVRSV

RAPTAM . INGEMISCIMVS

ET . CVI . EX . HOSTE . TRIVMPHATO

TROPAEA . PARABAMVS

EHEV . DARE . COGIMVR . INFERIAS

INVIDA . MORS . SI . POSSIES

TRIVMPHOS . IN . FVNERA . VERTERE

I . AVDE . VRGE . DENVO

ET . VIRTVTEM . IN . TVMVLVM

IV.

In Aversa tumuli parte.

DIGRESSA . E . REGNO . REGINA . VIRO . QVE . RELICTO
SVM . LATAS . EVROPAE . ASIAE . QVE . VAGATA . PER . ORAS
REGNANTVM.FOEDVS.MAGNVM.QVE.INITVRA.NOVVM. QVE
IMMANI . ET . POSITVRA . MODVM . CAROLINA . DVELLO
VIX . RE . PERFECTA . VOBIS . ME . REGIA . CAELI
INVIDET . AETERNVM . REGNATVRAM . AETHERE . SVMMO
HAVD . IGITVR . VACVO . LACRIMAS . ADSPERGITE . BVSTO
HINC . PRECE . VOS . POPVLI . MATERNO . ET . AMORE . FOVEBO

V.

NON . ATAVIS . ESSE . SATAM . AVGVSTIS

NEC . REGIIS . CIRCVMFVLSISSE . HONORIBVS

SED.IN.SVMMO.RERVM.HVMANARVM.FASTIGIO

MENTEM.AEQVI.RECTI.QVE.TENACEM.SERVASSE

IN . ADVERSIS . ROBVR . ANIMI . INVICTVM

IN . BLANDIENTI . FORTVNA . TEMPERANTIAM

HOC . AETERNAM . VBIQVE . FAMAM

MARIAE · CAROLINAE · REGINAE

COMMENDABIT

PRAETERMISSA

SVIS LOCIS INSERENDA.

Ad pag. 18. *vers.* 13. *post illa verba:* AD EMPTIONEM POSSESSIONIS CVIVS DE REDITV DIE NATALIS SVI SPORTVLAR DIVISIO SEMPER CELEBRARETVR LARGITVS EST, *statim adsuas quae sequuntur.*

Porro enim non rarum id in antiquis lapidibus, quod quis fundos, praedia, possessionesque emerit, adsignarit, donaverit, ut ex reditu earum Dies Natalis suus quoto anno celebraretur. Oblatus est mihi ante hos dies lapis Puteolis in aede Monsolinorum, quem huc transferre e re censeo:

IN PRAEDIIS
AVGVSTALIVM CORPORAT
QVAE EIS L. LAECANIVS
PRIMITIVOS CVRATOR.IPSOR
PERPETVVS DEDIT ITA VT EX REDITV
EORVM QVOTANNIS DIE NATALIS SVI
II. K. IAN. DIVISIO FIAT ET EPVLENTVR

Et Ferentini ex Mur. cet.

Ad pag. 23. in fin.

In his at dum versabar, forte apud EBVRVM (*Eboli*) quum ad Ecclesiam Parochialem Sanctae Mariae constitissem, vidi ad turrim campanariam saxum vetustate prope exesum, quod notis excipere prorsus desperabam. Epigraphes autem huiusmodi est:

L . D . D . D

T . FL . T . F . FAB . SILVANO . PATR . MVN
EBVR . II . VIR . II . QQ . QVEST . ARK . CVR
REI . FRVMENT . HVIC . COLL . DEND
ROPHORR . OB . EXIMIAM . ERGA
SE . BENIVOLENTIAM . ET . OPEM . PER
PETVAM . STATVAM . DIGNISSIMO
PATRONO . POSVERVNT . CVIVS . STA
TVAE . HONORE . CONTENTVS . OBT
VLIT . COLL . HS . VIII . M . N . VT . QVODANNIS
NATALI . EIVS . DIE . III . IDVVM . DECEMBR
CON . FREQVENTENT . ET . OB . STATVAE
DEDICATIONEM . CONTVLIT . HS . XXX . N . II
QQ . II . VIR . AEDILIC . SING . ET . LIBE
RIS . EOR . DEC . SING . HS.XX.N.VI.VIRIS.AVGVS
TALIB . HS . XII . N . COLL . DENDROPHORR
FAB . SING . HS . MILLE . N . ET . EPVLVM
PLEBEIS . SING . XII . N . ET . VISCERATIONEM

Sane miratus sum quam qui maxime, qui factum, ut tam insigne monumentum, ad viam publicam prope positum nemo ad hanc usque aetatem viderit. Nec enim Grutero, Reinesio, Fabrettio, Gudio, Muratorio cognitum, nec geographis Clu-

verio, Cellario, Holstenio, Ortelio, et cui cuivis ex nostratibus. Vt autem quod ad rem nostram facit, mittam (vel enim quisque per se intelligit statuam T. Flavio Silvano PATRONO MVNICIPII EBVRINORVM, eo adhuc in vivis agente positam, cuius tamen Natalis dies III. Idvvm Decembr. signatur) de eo maxime gavisus sum, quod EBVRVM antiqua urbs ac Municipium, cuius nullum omnino vestigium cum in nummis, tum in inscriptionibus, in isto lapide primum compareat. Hem quanta lux hinc Plinio adfulget! Nimirum EBVRINI ab historico memorati, illius prorsus urbis incolae fuerunt, quae nunc *Eboli* vulgari voce adpellatur. *Lucanorum* (1) *autem*, inquit,

(1) Hallucinatum hac in re Plinium vult Cluverius, atque vicinitatis errore ad Lucaniam adscripsisse autumat Eburinos, qui certe ad Picentinos suo iudicio erant amandandi. Pari ratione Pomponium Melam veluti indiligentem Italiae descriptorem taxat *lib. II. Cap. IV.* quod omnem Picentinorum regionem Lucaniae adtribuerit, inquiens: *Adverso littore incedens Poestanus sinus, Poestum opidum, Silarus amnis, Picentia, Petrae quas Sirenes habitavere, Minervae promontorium,* OPIMA LVCANIAE LOCA. Sed haud ita rerum nostrarum, locorumque ignarum Plinium reor ego. Praeterquam enim graecum in ora Lucaniae opidum Picentiam fuisse ex nummis Mayeranis constat, quibus inscriptum ΠΙΚΕΝΤΙΕΩΝ, videtur Cluverius parem tenuisse rationem regionis Lucaniae, Campaniae, aliarumque, quam Picentinorum, quae arctissimis finibus circumscripta continebatur, et incertis adeo, ut ardua res prorsus sit ex Ptolomaeo, Strabone, Mela, Plinio certi aliquid decernere. Ptolomaeus *Nolam*, et *Nucerian* Alphaternam Picentinis adscribit, quae Campaniae urbes fuere. Plinius *lib. III. Cap. V.* Iunonis Argivae fanum (hodie *Gifuni*) in Picentinis ponit: *A Surrento ad Silarum amnem triginta millia passuum ager Pi-*

Atinates, *Bantini*, ***EBVRINI***, ***Grumentini***, *Potentini*, *Sontini*, *Sirini*, *Tergilani*, *Vrsentini*, *Volcentani*. Quum autem id reliquum esset, ut marmoris aetatem coniectando divinarem, de qua maxime solliciti erant, qui me circumstabant amici, sorte datum, ut adiacentes Ecclesiae hortos ingressus litterarum lineamenta quaedam in laevo lapidis latere intervidderim. Nulla mora, sed sum-

centinus fuit Tuscorum, *templo Junonis Argivae a Jasone condito insignis.* Contra Strabo *libr. VI. Post Silaris ostium Lucania est*, *et Junonis Argivae templum*, *quod a Jasone constructum.* Cui Plutarchus suffragatur in *Vit. Pomp. In Samo*, *Argisque*, *et in Lucania Junonis.* Item vero non alias mediterraneas urbes in Picentinis numerat Plinius *loc. cit.* quam *Salernum*, et *Picentia.* Ex adverso Salernum a Romanis contra Picentinos munitum tradit Strabo *in fin. libr. V.* Των δε Πικεντινων υπηρχε μητροπολις Πικεντια νυνι δε κωμηδον ζωσιν αποσθεντες, υπο Ρωμαιων δια την προς Αννιβαλ κοινωνιαν επετειχισαν δε αυτοις Σαλερνον Ρωμαιοι φρουρας χαριν μικρον υπερ της θαλαττης. *Picentinorum caput fuit Picentia. Nunc vero per vicos habitant*, *a Romanis Urbe expulsi*, *quod Hannibali se se coniunxissent. Praesidii vero loco adversum eos communiverunt Romani Salernum haud procul a mari.* His omnibus tandem addas, quod *Picentiam* ipsam, a qua nomen Picentinis factum, in Lucania constituat Mela *loc. supra cit.* Ergo, uti videtur, Picentinorum antiquo originis nomine compellati fuerunt cum urbis tum pagorum, ac totius viciniae incolae, maxime post urbem secundo bello punico prorsus deletam, eo ferme modo, quo Volcetani. Sane *Volcentum*, *Vulceium*, et Ptolomaeo *Vulci*, nunc *Buccino*, Urbs erat, cuius opidani Volcentani Melae dicuntur. Nec tamen urbis incolae tantum eo nomine designati, sed et pagorum, vicorumque habitatores. Ante hos annos vidi ibi egomet ad excisae arcis murum praegrande saxum temporum iniuria deformatum, in quo (Acilio Severo, et Vettio Rufino Coss. an. sc. Christi cccxxiv) singuli pagi cum suis fundis, et iugerationibus notabantur. Ita Pagus FORENSIS, Pagus ASTORIANVS, Pagus NARANVS, Pagus SICINIANVS, (qui veteri nomine adhuc

mo labore, erat enim id latus iniuria temporum omnino corruptum, lectionem exprompsi, quae haec est:

DEDICATA IV. KAL. APRIL

M. STLACCIO AL

BINO C . . . . . STEIAN

Scilicet sub Imperatore Commodo statuam cum inscriptione positam hinc edidici anno Vrbis conditae CMXXXV. Christi vero CLXXXIII. quo M. Stlaccium consulem processisse ex Panvinianis fastis constat. Nec mihi negotii quidquam facessit tabula

hodie adpellatur *Sicignano*) Pagus TRASIMIANVS cet. licet propriis adpellationibus distinguebantur, Volcentani tamen omnes dicti. Atque ubi, et quo puncto posita fuerit Picentia urbs, frustra ex Strabonis corruptissimo loco intelliges. Sane Gronovius in not. ad Steph. Bizant. voce Πικεντία ait: *Huius urbis nunc nedum cineres exstant*. Cluverius sursum deorsum omnia agens, et ipsis maxime obstrepentibus Itinerariis Picentiam ponit ubi nunc *Balvanum* iacet. Vnus adcuratissime omnium Lucas Holstenius *pag*. 263 rem acu tetigit: *Inter Salernum, et Ebulos transitur locus* BICENZA *dictus, quem adlabitur fluvius vulgo dictus* il Bicentino *VII. M. P. a Salerno, et XIII. M. P. a Silaro distans. Vnde nullo modo dubitandum, quia haec ipsissima sit Picentia, quae in Picentino non meditullio sita, nomen genti dedit*. Egregie quidem! Atque eo magis, quod cum eo situ adprime nummi Mayerani conveniunt, in quibus pisces in orbem scalpti visuntur, symbolum id vel maritimae, vel parum a mari dissitae urbis. Atque his immorari non piguit, ut pateat, quo prope loco insederit gens *Picentina*, sive (ut Strabonis verbis utar) *particula illa a Picentibus, qui Adriaticum mare incolunt, evulsa, et ad sinum Posidoniatem traducta, qui nunc Poestanus dicitur*.

quae Romae prostat ad SS. Apostolos, in qua M. SILACCIVS ALBINVS TREBELLIVS, SALLVSTIVS RVFVS Consules illius anni dicuntur. Nam, uti reor, Trebellio Rufo, ab Imperatore Commodo occiso (Lamprid. *in Vit. Commod.*), in eius locum alter aliquis suffectus est, de quo in nostra inscriptione (1).

(1) Quid, si quis contendat nunc, ad urbem hanc pertinere marmor Romae ap. Gudium p. xv. 1.

CERERI . FRVGIF
ET . ANNONAE . P . R
MVNICIP . EBVRANEI
CVRATORES

»»»»»»»»»»»»»»»»»»»

Sed ut quod sentio, ingenue dicam, lapidem potius ad *Eburam* Baeticam amandandum duco, quae sive inter Baetim, et Oceani oram in mediterranco, sive in littore Oceani post Gades fuerit, non satis ex Strabone, Mela, Plinio, Stephano Bizantio constat. Namque Plinius idem auctor est, *Eburam* Baeticam ex ubertate frugum peculiari cognomine dictam CEREALEM (vide Bochart. in *Chanaan*). Ceterum si camporum *Eburae* Baeticae fertilitatem cum feracissimo EBVRI nostri agro compares, profecto cognominem hanc urbem pari titulo dignandam diceres.

Ad pag. 33. *vers.* 11. *post illa verba*: sit sepulcro consignatus, *addas haec*:

Antiquus lapis Ferentini a Murat. *p.* DCCLXII. producitur, quem sane dolet non fractum tantum, sed et mutilum, et capite minutum, ac omnino deformem exhiberi, et contra suam lectionem. Cuius cuiusmodi tamen sit, satis id ad rem nostram facit, quod hominem prodat, qui CONDI-

TVS SIT XIII. OCTOBR. DIE NATALIS SVI. Lapis autem huiusmodi est:

DITVS SIT XIII. OCTOBR. DIE NATALIS SVI
BVS ET. X. VIRIS ET QV. VI. VXORIBVSQVE
TRIBVS ET FILIABVS SORORIBVSQVE SIMVL
TIB. II. EM. VI. VIRIS AVG ET
VXORIBVS EORVM
VS SPORTVLAS ITEM POPVLO FIERI ET
PVERIS NVCES SPARGI DIE SS. ET
LVMINATIONE

Nimirum ut in Ferentinati titulo, recurrente post annos die nativitatis suae, conditus est iste, ita et de P. Petreio Quadrato dicitur in Fleetvodiano cippo, quod die Natali V. Idus Apriles reliquiae eius conditae sunt. An vero, quod quis ipso nativitatis die post annos decesserit, vel conditus fuerit, ideo Natalis vocem ad diem emortualem significandam contendas adpositam? Apage! Nec infrequentia sunt in re lapidaria huiusmodi exempla. En in promptu *cet.*

ACTA

INVENTIONIS SANCTORVM CORPORVM

SOSII MART. ET SEVERINI PRESBYTERI [1].

Anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi millesimo octingentesimo septimo; ab passione beatissimi Sosii, Misenatis Ecclesiae Diaconi, qui sub Diocletiano Imperatore, Consulatu Constantii Caesaris IIII. Galerii Maximiani IIII. martyrium detruncato capite pro Christi fide suscepit, millesimo quingentesimo secundo [2]; ab translatione post excisum Misenum eiusdem Sancti Martyris Neapolim, nongentesimo quarto [3]; ab dormitione sancti Presbyteri Severini, Noricorum

(1) Edita Neapoli typis Simoniania an. MDCCCVII.

(2) Confersis Acta Bononiens. S. Ianuar. Sosii, et Sociorum martyr. apud Mazochium *Kalendar. Neap. tom.* I. tum Actor. *Vindic. Repetit.* Itemque Vaticana apud Ioan. Stiltingum *Act. SS. Ianuarii Episcopi, Sosii cet. commentar. illustr.* Porro Constantii cum Galerio Maximiano Consulatus iste incidit in annum CCCV. Et quidem hoc anno martyrium, capitis abscisione complevisse Sosium, ex Menaeis, et Anthologio, tum ex innumeris graecorum, latinorumque monumentis constat.

(3) Quidquid sit de discrepantibus clarissimorum virorum Mabillonii, Muratorii, Mazochii, Sabatinii, Assemanii, Stiltingii supputationibus, qui tenebras potius nobis offuderunt, unus certe omnium hac nostra aetate in rebus medii aevi consummatissimus P. Alexander de Meo rem veluti acu tetigit in *Annal. Diplom. della mezzana età del Regno di Nap. tom. V.* Sane neminem latet controversiam omnem in eo versari, unde potius anni XXIV. Leonis, et Alexandri ducendum initium,

Apostoli, qui Attila Hunnorum rege defuncto, turbatis in utraque Pannonia rebus, Austriam Evangelium propagaturus advenit, ibique in Norico Ripensi trans montem Cetium innumeris clarus

cui Ioannes Diaconus translationem S. Severini consignat; quem alii putant incidere in an. Chr. 920. cordatiores alii cum Stiltiogo in an. 909. Sed percommode factum, quod eodem anno Ioannes Chronographus non eam tantum translationem memoraverit, sed et Abrahami Regis Saracenorum obitum. Porro quo anno fato cesserit Abrahamus iste, haud arduum erit ex innumeris aevi medii monumentis eruere. Nimirum Lupus Protospata in *Chronic.* (ex MS. codice Ducis Andriensis) *ad an.* 902. inquit: *Descendit Abraham in Calabria, et ivit Cosentiam civitatem, et percussus est ictu fulguris.* Cum Lupo consentit antiquior Chronographus Barensis: *Hoc anno* (902.) *descendit Abraham Rex Saracenorum in Calabria, et mortuus est in Cosentia, in Ecclesia S. Pancratii.* Accedit Chronographus Romualdus in *Chronic. Salern. Eodem anno* (902.) *in nocte visi sunt igniculi in modum stellarum per aera discurrentes; qua nocte Rex Africae, residens super Cosentiam Calabriae civitatem, Dei iudicio mortuus est.* Ex quo et consensus insuper patet inter Chronographum Salernitanum, et Ioannem Diaconum. Ille enim in vesperis diei Dominicae 24. Octobris an. 902. et Abrahami mortem, et simul ignes eadem nocte per aera discurrentes memorat. Hic vero expresse testatur S. Severini corpus die 18. Octobris ex Lucullano translatum, atque *sex dies effluxerant* (qui incidunt amussim in 24. Octobris) *et ecce visu formidabile prodigium. Astra toto passim coelo confixa, iugem volarunt per noctem, et militum ad instar in procinctu confligentium ultro citroque alterno sibimet obviabant illapsu.* Igitur S. Severini translatio ex certissima chronotaxi in annum 902. statuenda est. Quum vero idem Chronographus Ioannes, S. Sosii corpus ex Miseno Neapolim transvectum enarret, uno ferme anno post S. Severini translationem, nemo non exactissimo calculo non hinc deducet, Sosianam translationem nonnisi in anno 903. omnino firmandam. His accedit, quod neque ante annum 903. neque post annum 907. figi potest Severiniana translatio. Non id primum; ex Ioanne Diacono enim diserte constat sub Stephano III. translatum S. Severini corpus ex Lucullano Neapolim, qui certe ante annum 902. nondum Episcopus erat, sedebatque adhuc (ex in-

miraculis in pace Christi quievit, millesimo tercentesimo vicesimo quincto (1); ab transvectione eiusdem sancti corporis ex Norico in Italiam ad Montem Feretrum sub Odoacre Rege, millesimo

dubiae fidei monumentis apud Meum ad hunc an.) Athanasius II. cui mortuo successit hoc anno Stephanus. Nec vero post annum 907., nam in sincerissimo donationis diplomate Athanasii Episcopi Neapolitani, et Gregorii Ducis sub anno 907. (exarato nimirum per manus *Anasthasii primarii Curialis per Ind. XI. Impp. dd. nn. Leone, et Alexandro a Deo coron.mm. Impp. anno XXX. die XVII. Decembris indict. XI.*) expressissime, ut de re facta, cum Lucullani eversio, tum S. Severini translatio enarratur. Haec quum ita sint, certe Sancti Sosii translatio nonnisi inter annum 903. et 907. intercidit. Quid? si et proprius nunc eruatur annus? Videamus. *Sexaginta evolutos iam paene per annos*, inquit Ioannes Diaconus, ex quo excisum erat Misenum, S. Sosii corpus inde Neapolim transvectum. Sed Misenum ex veriloquio Chronographorum in vere anni 845. est eversum sub Ioanne Episcopo Neapolitano (vide Meum ad hunc an.) Adde sexaginta; adde discrimen indictionis Pisanae, et Constantinopolitanae, et amussim habes annum 903.

(1) Ex receptissimo calculo VI. Idus Ianuarias anno Christi CCCCLXXXII. Sancti Severini depositio contigit. Tametsi enim Eugypius discipulus, qui Severini acta sincerissime scripsit (habes apud Surium *Act.San. tom.* 1. et ap. Bollandum *mens. Ian. tom.* 1. integra vero in Codice MS. Bibliothecae Oratorianae, cuius meminit Baronius *Ann. Eccl.* ad ann. 454.) quo potissimum anno, quibusve consulibus is decesserit expresse non dicat, locupletissime tamen ex eiusdem scriptis veritas epochae eruitur, anno Odacris Regis Italiae septimo. Vid. Baronium in *Annal. Eccles.* ad an. Ch. 482. tum in *not. ad Martyrol. Rom.* ad VI. Idus Ianuar. Porro Eugypium hunc S. Isidorus Hispalensis, primus omnium inter Ecclesiasticos scriptores retulit *Cap. XIII. Eugypius Abbas Lucullanensis oppidi, Neapolis Campaniae ad quemdam Paschasium Diaconum libellum de vita Sancti Monachi Severini transmissum brevi stylo composuit.* Eiusdem meminit et Cassiodorus *Divin. Lection. cap.* XXIII. *Convenit etiam ut presbyteri Eugypii opera necessario legere debeatis, quem nos quoque vidimus, virum quidem non usque adeo saecularibus litteris eruditum, sed scripturarum divinarum lec-*

tercentesimo decimo nono (1); ab translatione secunda ex Monte Feretro ad Lucullanum prope Neapolim sub Gelasio Pontifice, et Sancto Victore Episcopo Neapolitano, millesimo tercentesimo de-

tione plenissimum. At de eius tamen aetate dimicatum usque adhuc acerrime. Nam et excerpta quaedam ex libris S. Augustini, hortatu Reducis Episcopi Neapolitani anno circiter 576. concinnasse, auctor est Sigebertus Gemblacensis *Lib. de Scrip. Eccles. Cap.* XXXIX. imo ad Pelagii Pontificatum adhuc vixisse. Rosvveidus in *Prolegomen. ad vit. Patrum*, et Bollandus *loc. cit.* tum et Miraeus, et Cavius duos eodem sexto saeculo Eugypios floruisse putarunt. Chioccarellus, Ughellius, Muratorius altera incesserunt via, Dupinius diversa. Verum Lambecius *Biblioth. Caesar. tom.* 1. *p.* 26. et Mabillonius *Analect. veter. tom.* II. *p.* 11. non duo, sed unicum fuisse Eugypium disertissime postremo demonstrarunt, cui tum liber *de vita S. Severini*, tum *excerpta* Augustinianea sunt tribuenda. Enimvero scripserat is S. Severini vitam biennio post Consulatum Importuni, hoc est anno DXI. ut ipse testatur in epistola ad Paschasium Diaconum; nec nisi eodem tempore Augustinianea collectanea contexuit; siquidem id opus *Probae Virgini* inscripsit, cui Probae Sanctus Fulgentius tractatus duos *de ieiunio*, *et oratione* nuncupavit anno DV. Accedit quod Cassiodorus, qui institutionum librum ante annum DLX. lucubraverat, de Eugypio excerptore, non secus quam de mortuo agit. Igitur non duo, sed unus Eugypius qui Presbyter, et S. Severini discipulus, tum Abbas Lucullanensis fuit.

(1) Nimirum anno 488. Sancti Severini corpus, sexennio ab eius depositione, ex monasterio quod iuxta Fabiana construxerat, in Italiam ad montem Feretrum est translatum. Rem oculatus testis Eugypius describit *Cap.* XII. *n.* 55. quem aliquantisper praestat audire. *Sepulcro patefacto, tantae suavitatis fragrantia omnes nos circumstantes accepit, ut prae nimio gaudio, atque admiratione prosterneremur in terram. Deinde humaniter aestimantes ossa funeris invenire disiuncta (nam annus sextus depositionis eius effluxerat) integram corporis compagem reperimus: ob quod miraculum immensas gratias retulimus omnium conditori, quia cadaver Sancti, in quo nulla aromata fuerant, nulla manus accesserat conditoris, cum barba pariter, et capillis usque ad illud tempus mansisset illaesum. Linteaminibus igitur immuta-*

cimo tertio Pl. M. (1); ab postrema translatione ex Castro Lucullano ad monasterium Sancti Severini intra urbem sub Stephano III. Neapolitanorum Episcopo, nongentesimo quincto (2). Ego Michael Archangelus Lupoli, Divina miseratione, et Apostolicae Sedis gratia, Sanctae Pelusianae

tis, in loculo multo ante iam tempore praeparato funus includitur, carpento, trahentibus equis, impositum: mox evehitur, cunctis nobiscum provincialibus idem iter agentibus; qui oppidis super ripam Danubii derelictis, per diversas Italiae regiones, varias suae peregrinationis sortiti sunt sedes Sancti itaque corpusculum ad Castellum nomine Felethein emensis regionibus apportatum est. Per idem tempus multi variis occupati languoribus, et nonnulli spiritibus immundis oppressi medelam divinae gratiae sine ulla mora senserunt.

(1) Alteram hanc S. Severini transvectionem post annum Chr. 492. ante tamen finem anni 496. contigisse recte censet Bollandus. Huic etiam interfuit Eugypius, cuius haec item enarratio: *Illustris femina Barbara beatum Severinum, quem fama vel litteris cum suo quondam iugali optime noverat, religiosa devotione venerata est: quae post obitum eius audiens corpusculum Sancti in Italiam cum multo labore perductum, et usque ad illud tempus terrae nullatenus commendatum, venerabilem praesbyterum nostrum Marcianum, sed et cunctam Congregationem litteris frequentibus invitavit. Tunc S. Gelasii sedis Romanae Pontificis auctoritate, et Neapolitano populo exequiis reverentibus occurrente, in Castello Lucullano per manus S. Victoris Episcopi mausoleo, quod praedicta femina condidit, collocatum est. Qua celebritate multi languoribus diversis afflicti, quos recensere longum est, recepere protinus sanitatem.*

(2) Tertio tandem e Lucullano devectae Neapolim sunt Severini ossa anno Leonis Imperatoris XXIV. de quo plura superius. Historiam contexuit Ioannes Diaconus, ex quo paucula huc transfero: *Sexto Idus Septembris Praesul et Clerus ad inquirendum saepedicti Sancti corpus iverunt. Cumque tumulum mirabili decore sub altari* (monasterii Lucullanensis) *constructum aperuissent, longa consternatione diriguerunt. Sed altius suffodientes pervenerunt ad tumbam, in qua caelestis iacebat thesaurus. Hanc protinus reserantes*

Ecclesiae Episcopus, instantibus universo Populo, ac Clero municipii Fractensis, quibus facta potestas sacri depositi beatissimi martyris Sosii, eiusdem municipii ab origine patroni (1), tum et sancti Severini Noricorum Apostoli, conquirendi, ac in patriam adsportandi; ex speciali delegatio-

sic universa membra suis compaginata viderunt articulis, ut lacrymoso torpentes stupore, immensa cunctipotentem admiratione laudarent. Mox postero die Neapolim summa pompa deductos cineres narrat. Accedit ad haec Diploma donationis apud Chioccarellum de Episc. Neap. pag. 108. *Destructo castro ipso* (Lucullano) *statim dictus antistes dompnus Stephanus patruus noster cum cuncto Clero, et nos pariter cum cereis, et thimiamatibus usque ad ipsum monasterium praefati Abbatis detulimus, et per manus eiusdem dompni Stephani Episcopi Sancti collocatum est in Ecclesia, et altari, quae erat vocabulo ipsius Sancti dedicata.*

(1) Misenates, patria ab Saracenis excisa (ex accurata chronotaxi) an. Ch. 845. huc illuc per viciniam palantes, ad quinctum ferme ab Urbe Neapoli lapidem in campum feracissimum (marittima enim loca, barbaricis passim incursionibus tentata, horrebant) commigrarunt. Humilis ibi exiguae rusticae gentis vicus paucis ante adsurrexerat annis, si modo vicus dicendus, quem ex ipsa loci natura *Fractam* sive vicani, sive rusticani nuncupabant. At ingeniosissimorum auctus advenarum incolatu, brevi eo devenit splendoris, ut ipsum purum putum commercii emporium ex Miseno *Fractam* simul cum incolis commigrasse videretur. Commercio avitae artes additae, in primis restiaria, classiariis Misenatibus celebratissima, atque paene unis propria; quae mox et Fractensibus paene unis item propria adhucdum perdurat. At haec obiter, et ex constanti ac perpetua maiorum traditione, (spero enim ex nostratibus haud defuturum, qui patrias memorias erit curaturus) atque eo quidem consilio, ut Sancti Sosii, Misenatis Ecclesiae diaconi, et martyris cultum, in ipsa prima *Fractae* origine involutum videas. Nihil enim tam tenacius alio commigrantibus populis, quam patrium cultum, patrios tutelares, patrias artes retinere.

ne Reverendissimi in Christo fratris nostri Episcopi Litterensis Bernardi de Turre, qui metropolitanae Ecclesiae Neapolitanae Archiepiscopi vice fungebatur, accessi post vesperas diei xxviii. mensis Maii ad Ecclesiam, quae monasterii Patrum Casinensium fuit; ibique Dominum precatus, ut vota fidelium in sui gloriam converteret, descendi in cryptam SS. Crucifixi, ubi traditio ferebat Sanctorum condita corpora. Ac primum introgredienti inscriptio ad fores occurrit:

DIVIS SEVERINO NORICORUM IN ORIENTE (1) APOSTOLO

(1) Eugypii mentem nihil quidquam est adsequutus inscriptionis auctor. *Tempore quo Attila* (inquit Eugypius) *Rex Hunnorum defunctus est, in utraque Pannonia ceterisque confiniis Danubii res turbantur ambiguae: ac primo inter filios eius de obtinendo regno magna sunt exorta certamina; qui morbo iniquae dominationis inflati, materiam sui sceleris accepere patris interitum. Quibus diebus sanctissimus Dei famulus Severinus de partibus Orientis in Pannonium veniens, morabatur in oppido quod Castuŕis dicitur, ubi secundum Evangelicam, et Apostolicam doctrinam omni pietate praeditus in confessione Catholicae fidei venerabile propositum sanctis operibus adimplebat.* Cave tamen ne ubi de Oriente advenisse ad Noricos Severinum audis, fortasse tu illum hominem Orientalem arbitreris. Nam Latinum hominem aperte dixit Eugypius: cum alioqui patriam atque genus suum ad humanam vitandam laudem celare perpetuo silentio voluerit, ut idem auctor in epistola ad Paschasium Diaconum testatur (quae desideratur in Actis apud Surium atque ex MS. codice Bibliothecae Oratorianae primum a Baronio producta ad ann. 454.) *Loquela ipsius manifestabat hominem omnino latinum* (hoc est ex Italiae finibus); *quem constat ad quamdam Orientis solitudinem fervore perfectioris vitae fuisse profectum, atque deinde post ad Norici Ripensis oppida Pannoniae Superiori vicina, quae barbarorum crebris premebantur incursibus, di-*

ET SOSIO LEVITAE B. IANUARII EPISCOPI IN PASSIONE SOCIO TEMPLVM UBI EORUM SS. CORPORA SUB ALTARE MAIORI REQUIESCUNT ET APOSTOLICO INDULTO CUM BOLATIONE SACRA PURGANTES ANIMAE LIBERANTUR. Mox ad aram maximam prostratus, quum singula perlustrarem, vidi mensae inscriptam epigraphen:

HIC DVO SANCTA SIMVL DIVINAQVE CORPORA PATRES
SOSIVS VNANIMES ET SEVERINVS HABENT

Retectis itaque absque ulla cunctatione marmoribus, primo tabulam ligneam mensae substratam, tum cemento interiecto alteram ex marmore praeruptam inveni; ac e vestigio capsa emersit lignea in longum P. III. ½ in latum P. II. ½, quae ad latera quatuor totidem qua qua versus exhibebat ad custodiam marmora. Saxum porro, quod Evangelii cornu spectabat, hunc dabat introrsum praegrandibus litteris titulum:

HIC IN CORPORE
SCS SEVERINVS
REQVIESCET (*sic*)

vina compulsus revelatione, venisse; sicut ipse clauso sermone tamquam de alio aliquo referre solitus erat, nonnullas Orientis urbes nominans, et itineris immensa pericula se miserabiliter transisse significans. Mazochius attamen longius progreditur in *Kal. Neap. Tom.* I. ad VIII. Ian. *pag.* 6. *not.* 2. *At quid si ex Severini monitis ultimis* (*num.* 19. *ubi agit de transferendis suis reliquiis exemplo Iosephi Patriarchae*) *elici potest, fortassis non tantum Italus, sed et origine Neapolitanus fuerit? Verum hae merae conjecturae sunt.*

Tunc imminentem tabulam, quae temporis vetustate, trabalibus clavis hinc inde in intimum cavum dilapsis, vix tumulo haerebat aperui, et continuo venerandum sanctissimi Noricorum Apostoli Severini depositum conspexi. In ea loculi parte, quae in adversum cornu vergebat, sacrum caput positum erat, integrum quidem, ac prorsus sanum; tum in proximo arcula aerea, ebore inaurato adfabre contexta, ac clave occlusa, quam ubi cautissime contrectaverim, omnis subito evanuit ornatus, ipsaque eburnea frustula hinc inde divulsa exciderunt. Fatiscebat enim undique, nec nisi aerea tantum supererat lamina, integra sane, nec ulla rubigine vel exesa, vel saltem foedata. Quantum autem vel ipso primo obtutu datum est adsequi, erat inibi sanctissimi confessoris cor reconditum. Quod et diligenti observatione ratum habuit clarissimus Angelus Boccanerius in Neapolitana studiorum universitate rei anatomicae professor; quem ego virum eximium vel ideo adcivi, ut integrum nec ne partibus omnibus esset sancti presbyteri corpus, probe intelligerem. Memineram enim, haud vice simplici Severini reliquias, ab sancto Gregorio Pontifice ad oratoria aedificanda concessas, quarum crebra est in eiusdem epistolis mentio. Huc pertinet Lib. III. Epist. XIX. ad Petrum subdiaconum Campaniae: *Quia igitur*, inquit S. Pontifex, *ecclesiam positam iuxta domum Merula-*

nam regione tertia, quam superstitio diu Ariana detinuit, in honorem S. Severini cupimus consecrare; experientia tua RELIQUIAS SANCTI SEVERINI, *summopere debita cum veneratione transmittat.* Rursumque Lib. IX. Epist. LXXXV. ad Fortunatum Episcopum Neapolitanum: *Ianuaria religiosa femina, sanctuaria* (idest reliquias; sic medio aevo, vide Cangium) *beatorum* SEVERINI CONFESSORIS, *et Iulianae Martyris oblata petitione sibi postulat debere concedi; quatenus in eorum nomine oratorium propriis sumptibus constructum possit solemniter consecrari.* Postremo et Lib. XI. Epist. XXXI. ad Paschasium Episcopum Neapolitanum, ut Venantio Siculo ad consecrandum oratorium, eiusdem Severini reliquias traderet. Nimirum igitur acutissimi viri exploratione perspicuo innotuit, nonnisi unam alteramque toto corpore costam desiderari; ex quibus profecto, variis temporibus detractae, ad ista consecranda oratoria, particulae. Porro demum, quum ligneus loculus prope temporis longaevitate esset absumptus, et basis potissimum in pulverem paene redacta, qua par erat religione ac diligentia singula membra in novam arcam ad id opus paratam conlocavi, quam funibus religatam, Episcopali signo meo bis binis partibus communivi. Inscriptum illi manibus meis

+ SANCTI SEVERINI NORICORVM APOSTOLI LIPSANA HEIC EGO REPOSVI M. ARCHANGELVS PELVSIANORVM EPISCOPVS ANTE DIEM III. KAL. IVN. CIϽIϽCCCVII. +

Re perfecta, ad opus alterum, quod caput erat, laeti animum adiecerunt omnes, sacrumque beatissimi martyris Sosii depositum eruendum susceperunt. Quamquam autem, et inscriptus lapis, quem paullo ante memoravi, et sancti Severini corpus feliciter detectum, rem ex voto successuram pollicerentur: diu tamen incertus coeca expectatione pependi. Nam icta saepius, percussaque hic illic, tum lapicidarum scalpris, tum fabrum acutis ac ponderosis upupis arae substructione, nihil penitus insonabat, nullumque cavae latentisque camerae, qua sacra ossa occultari possent, vestigium adparebat. Conciderant animo omnes, reique difficultate deterritis vox spiritusque torpebat. Mihi vero spes certa quaedam stimulabat acriter animum, neque quam omnes abiecerant, desperatissimam esse putavi. Inclinata iam meridies erat diei xxx. Maii, quum ingeminatis ictibus, ingeminatis una orationibus, terraque prope ad pedes IIII. cum dimidio effossa, ab infima ara marmoream vidimus emergere tabulam. Laetis clamoribus personuit crypta, atque exhilarati repente omnes, quisque pro se opus urgebat. Tunc lapides, arctumque cementum, quod tabulae hinc inde continens erat laboriosis sane, sed accuratissimis effossionibus usque eo persequi iussi, donec vel aperiri, vel divelli facile posset. Atque excavato demum loculi ambitu, ubi operculum patefeci, octo-

losque in satis amplam ex marmore urnam (erat enim in long. P. VI. $\frac{1}{6}$ in lat. P. II. $\frac{5}{12}$) conieci, inspexi iam desideratissima Christi athletae Sosii ossa (1), ex quibus perfusus extemplo suavissimus odor cunctos circumquaque beavit. Lipsanis ligneum tabulae segmentum superiectum reperi; neque ullo ea interiori sepimento vallata, in nudo marmore iacebant. Detraxi lignum, et magnam veteris comminutique tectorii copiam, ipsa ossa obruentem vidi, cuius praesegmina, quae erant vetustate soluta in tenuissimum pulverem abierant; ramenta vero, quae adhuc grandiusculas coalescebant in partes, qua viridi, qua rubro, et etiam carneo picta erant colore. In quibusdam praeterea et litterarum fragmenta pellucebant, quibus haud obscure Sosii edicebatur nomen. Sane autem quum

(1) Martyris Sosii corpus adhuc integrum sub Miseni ruinis detectum, Ioannes Diaconus, qui interfuit, locupletissime testatur in *Act. invent. et transl. S. Sosii* (habes ex MS. codice Neapolitano, et Vaticano ap. Stiltingum *Act.* S. Ian. Sosii, cet. p. 444. Antuerpiae 1757.) *Ioannes Cumanus Episcopus*, inquit, *cum omnibus suis, et ipse accitus adfuit, qui diligenter martyrialia membra perlustrans et ea omnia adhuc compage solida obstupescens, vere ait. . . . . Dominus custodit omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur* cet. Et paullo post: *Mane facto, Stephanus Episcopus, et Gregorius Consul cum omni populo sanctis occurrerunt exequiis, et pro inexplebili gaudio, praeceperunt nobis cuncta sibi suggerere, quae de inventione ipsius fuerunt* cet. Ac mox subiungit: *qualiter amplitudo corporis eius secundum staturam aequiorem ad quam metiri, et comparari potuit venia digna, quinque pedum et sex digitorum prolixa fuisset* cet.

ista parietinae crusta, neque ex contiguis vitiatis muris, neque ex alto, siquidem marmoreo operculo aptissime occludebatur tumulus, huc decidere potuisset, nihil mihi tam liberum ea prima fronte coniicere fuit, quam qui sub Stephano Neapolitanorum Episcopo in Miseni ruinis Sosii corpus primum invenerunt, quo maior adversus Christi martyrem adhiberetur reverentia, non ipsum dumtaxat depositum extraxerint, verum etiam totum abraserint sepulchrum, ipsaque collecta fragmina cum corpore composuerint. Sed illico mihi mentem subiit Ioannis Diaconi oculati testis narratio, qui conceptis verbis Sosii effigiem memorat, qua hypogaei concameratio ornabatur, quamque integram diducere connitentes, nimia ex adverso diligentia contriverunt: *Altari destructo*, inquit, *apparuit musiva quae sub eo latebat effigies, S. Sosii titulata litterulis, et Angelicis coronata manibus: cuius habilis nitor* (usque dum servatus) *ita omnes illiciebat, ut Ioannes Praepositus illam ex ipso pariete, nonnisi immutilatam evellere, et secum exinde integram perferre desideraret. Sed quia omnis ista intentio sub uno caementarii est ictu frustrata, conversus ad transfodiendum ipsum parietem, una nobiscum fremere coepit aviditate tota.* Quo chronographi locupletissimo, atque indubiae fidei testimonio, rem totam digito potius commonstratam, quam verbis significatam videre mihi

vidibar. Atque haec omnia, ut uti reperta sunt, in aliam arcam summa diligentia conieci; arcamque ipsam, quae et beatissimi martyris corpus, sacrumque cinerem, tum et parietinae versicolorem crustam sinu excipiebat; resticulis constrictam bis binis item partibus signavi, inscripsique mea manu superne:

+ SANCTI SOSII MISENATIS ECCLESIAE DIACONI ET MARTYRIS DEPOSITVM HAC RITE RECEPTVM ARKA SIGNAVI EGO M. ARCHANGELVS SANCTAE PELVSIANAE ECCLESIAE EPISCOPVS ANTE DIEM III. KAL. IVN. CIↃIↃCCCVII. +

Postero autem die ad vesperas ante Kalendas Iunias, quum convenissent Presbyteri Ecclesiae Fractensis, pignora sacra manibus ipse meis adsportanda tradidi illis. Atque haec, quibus interfui, et ut ab initio acta, gestaque sunt, in Domino testor, qui est, qui erat, et qui venturus est, omnipotens; cui Gloria in aeternum. Amen.

Neapoli pridie Kal. Iun. CIↃIↃCCCVII.

VITA

SANCTI CAROLI BORROMEI (1)

Caroli Borromei vitam recensendam suscipio, cuius nomine tantum commemorato, singularis quaedam species Christianae pietatis, et virtutum omnium exemplar absolutissimum animo subiicitur. Eius enim praeclare gesta huiusmodi sunt, ut vel Sacrorum Antistitem, vel philosophiae antesignanum raro parem anteacta viderint tempora, videantque fortassis quam difficillime futura. Quam ob rem neminem fore arbitror, qui mihi succenseat, si nihil omnino nec de patriae claritate, nec de generis splendore, maiorumque imaginibus, titulis, fastu, imperio adtingam. Haec enim magni quidem ab iis aestimantur, qui nihil fere suo momento ponderantes iniqui sunt rerum exactores. Ego autem huiusce vitae initium ex luce illa ordiri malo, quae repente oborta supra Borromaeorum aedes, qua nocte Carolum ad VI. Nonas Octobres anno MDXXXVIII. in lucem edidit Mater, mirifice visa est coruscare. Non enim obscure portendebat quod quisque sine augure intelligeret, fore nempe ut natus puer in tantis patriae, finitimorumque populorum tenebris,

(1) Scripsit hanc vitam auctor in solitudine montis Yrsi, quo valetudinis caussa secesserat.

ac in maxima quidem universae Ecclesiae perturbatione doctrina, et exemplo veluti sidus quoddam omnibus praeluceret. Atque non incertum, aut irritum fuisse omen, rerum comprobavit eventus. Nam ubi per aetatem licuit, mira de se praebuit puer probitatis specimina, et futurae etiam sanctitatis indicia. Eminebat iam tum in teneris adhuc annis praeclara quaedam ad virtutem indoles, et illi ipsi simplices, compositique mores adeo exornabant pueritiam, ut ex eius quasi lineamentis coniicerent omnes, quae firmatae constantisque aetatis futura esset species. Et quemadmodum ex segetis viriditate messem se videre putat agricola: ita nemo tunc erat qui puerum ea morum suavitate, ac vitae innocentia praeditum modo altariola construentem, modo canentem divinas laudes, aut facto saepe puerorum agmine, cum iis (Sacerdotum ritu) ire supplicatum animadvertens, statim certissimo adventuri temporis augurio non praesentiret, quam magnum Ecclesiae Praesidem futurum aliquando.

Optimis igitur vivendi rationibus assuescenti nihil unquam adrisit, quod aliqua ex parte turpe videretur. Neque prima illa aetas, ut fieri assolet, voluptate, aut indulgentia dissoluta est, sed labore potius severitateque firmata, ut non lusibus et iocis, sed litteris percipiendis tota impenderetur. Atque ut primum ex pueris excessit

Borromeus, instructus artibus, quibus solet ingenua aetas ad humanitatem informari, probe noscens se non sibi tantum, sed civibus, patriae, et Christianae rei publicae natum, severiorum disciplinarum amore inflammatus non sine patris concessu Ticinum se contulit, ut civili et canonico iuri operam navaret. Vbi usus studiorum duce et adiutore Francisco Alciato, viro omni doctrinarum genere, et bonis artibus plane erudito, maxima animi contentione in ea scientia elaboravit, quae multis profutura erat. Verum si parum videtur quod in amplissima illa litterarum sede non mediocrem ingenii gloriam, atque iuris utriusque lauream consequutus fuerit, multum erit certe quod in tanta vitiorum colluvione, quae ea in civitate grassabatur, et inter adolescentes praesertim qui publicum gymnasium frequentabant, ne latum quidem unguem ab inito consilio pudicitiae perpetuo servandae passus sit dimoveri, nihilque de summo et accurato nimis colendae virtutis studio remiserit. Id autem longe maximae fuit admirationi, quod, quamdiu in ea urbe versatus est, ne a recta vivendi semita deflecteret, nulla aut loca celebraverit, aut itinera contriverit, nisi templorum, ac disciplinarum, quod de Basilio magno memoriae quoque proditum est. Ex adverso tamen infensissimus ille hostis humani generis, quo magis pervidebat ni-

hil esse Carolo castitate carius, nihilque peius illius refugare, et abhorrere aures, quam voluptatum nomen, eo maiori conatu adnitebatur, ut illius animi constantiam expugnaret, moresque integerrimos inficeret. Hinc capta occasione quod adolescens, patre vita functo, summae praeerat rei familiaris, et nullius imperio tenebatur, quum nihil ei esset impedimento, si vellet virtuti nuntium remittere, atque ad voluptatem deficere, eam mentem iniecit cuidam illius administro, ut feminam venusta, ac liberali facie, arte etiam compositam in secretiorem aedium partem, ubi Carolus versari solebat, introduc[illegible] fa-re, ut simul ac impudens muliercula fronte perfricta in conspectum pudentissimi iuvenis se daret, ille vana specie captus blanditiis delinitus, ac loci opportunitate illectus, voluptati tandem cedere cogeretur. Sed illum longe quantum fefellit opinio. Nam ubi Carolus pudorem suum sensit circumveniri, Dei ope implorata loco statim excessit, quasi diceret: Non descendam in eiusmodi certamen, in quo non qui ingentibus animis hostem adgreditur, sed qui pedem caute referendo pugnam declinat, victoriae laudem consequitur. O Sapiens sane, ac divinum consilium, quod omnia mali daemonis strategemata elusit, et conatus omnes, omnesque impetus retardavit! Sed hac victoria adolescens factus alacrior bellum ul-

tro adversus immanissimum hostem suscepit, et illud apertissime indixit, cum primum omnes profudit vires, et totus in eo incubuit, ut monachorum sui sacerdotii ecclesiam administrantium deperditos mores emendaret. Qua in re, ardua licet, et perdifficili, suis votis mirifice respondit eventus, nam suadendo, hortando, et asperiora demum consilia exequendo, eos, qui ab instituta bene vivendi ratione defecerant, in ordinem redegit, et quod fidem omnem excedit, multa aetate viros, et sin minus virtute, certe quidem religionis nomine spectatos, in officio continere adnisus est adhuc ephebus. Sed maiora illi tamen manebant pro Dei Ecclesia gerenda certamina. Nam ecce nuncius ab Romano Pontifice, quo illum ad laboris societatem accersit, quem vehementer cupit consiliorum auctorem, ac suae sollicitudinis socium. Pontificis imperio parens Carolus contendit ad urbem, quo iam antea sui nominis fama pervaserat, et non mediocrem multis moverat expectationem. Sed ipsius adventus, atque admiratio et famam, et expectationem facile superavit. Nam vix dum Romam attigit, cum testatissimis virtutum documentis omnium in se oculos, atque ora convertit, ut ispe etiam Pius Quartus praestantium potius splendore virtutum, quam necessitudine, ac benevolentia motus purpuram, amplissimi honoris insigne, pridie Kalendas Fe-

bruarias anni MDLX. obtulerit illi, qui sane dignus erat, ut a quovis vel alienissimo Pontifice in purpuratorum Patrum ordinem cooptaretur. Et nimirum quam illustrior adparuit purpura, Caroli ornamentis decorata, quam amplificata tanto viro sacri Senatus auctoritas, ac ipsius summi Pontificis imperium, quam longe inclaruit, hoc adiutore administratum! Testatur hoc Tridentinum Concilium, Carolo auctore, et consuasore absolutum. Testatur illa Christiana Catechesis a summis pietate aeque ac doctrina viris, Carôlo adnitente, composita, et Parochorum usui mirifice adcommodata. Testantur pellucidissimae illae Noctes Vaticanae, quae eximia litterarum lumina Vrbi, et Orbi pepererunt, ac demun, ut cetera omnia praeteream, publica opera, quae in ea urbium regina exstare voluit Carolus. Quanto autem rei Christianae adiumento fuerit illius studium in fovendis, atque ornandis sapientibus, clementia in tuenda sexus, ac aetatis imbecillitate, largitas in pecunia pauperibus eroganda, non est cur dicam. Sed quo tempore Borromeus his bonis artibus suam erga Deum pietatem, caritatem in homines testificabatur, a Pontifice Maximo Archiepiscopus renuntiatur Mediolanensis Ecclesiae, quam vere beatam dicere possum, quod formidoloso maxime tempore talis ei oblatus fuerit Pastor, qualem haud scio an ausa fuisset optare. Nam in placido tranquilloque

mari quilibet optimus videtur esse gubernator, sed in saeva tempestate virtus ac scientia veri gubernatoris elucet. Et sane Mediolanensis Ecclesia, antequam ad gubernacula hic praeclarus moderator accederet, veluti navis quaedam praegrandis, plane exarmata, et in altum provecta concitato cursu in apertam ruere perniciem videbatur. Nam caeca ignorantiae nox, saevientes vitiorum fluctus, atque ab omnibus finitimorum haereticorum plagis vehementes exorti flatus, in illius certissimum conspiraverant exitiûm. Itaque maximum ab universo naufragio periculum erat, immo prope ad haeresum saxa eversa fuisset ac dissoluta, nisi Divinum Numen a supernis demisisset sedibus Carolum, qui in puppi sedens clavum teneret, et fluctuans, iactatumque undique navigium caritate vellet, sapientia ac animi constantia posset salvum in tranquillo portu collocare. Sed frustra prorsus essem, si omnia vellem omnino recensere, quae fecerit ille in sua adornanda provincia: quot nempe noctes invigilavit, quot exsorbuit acerbitates, quot exantlavit labores, ut caliginem, quae suorum civium mentibus erat oborta, discuteret, et in tenebris ignorantiae iacentibus facem praeferret; ut corroboratam retunderet, ac frangeret audaciam hominum improborum, qui sacra profana omnia habebant promiscua, et per summum scelus divina et humana iura perturbare, ac violare conabantur.

Nullum, ut aiunt, lapidem non movit, nihil intentatum reliquit, ut Ecclesiasticam disciplinam, aut temporis diuturnitate, aut moderatorum dissolutione labantem, ac paene collapsam restitueret. Parum enim capiebat quietis, semper in campo, semper in acie, semper in sole, et pulvere versabatur, ut Dei Ecclesiae consuleret, ut Christianam religionem amplificaret. Mitto operum suorum clarissima monumenta, quae omnium conteruntur manibus, illius sanctissimae leges, et salutaria scita, illa dioecesana, et Provincialia comitia non vice simplici, et incredibili studio habita, ac summorum virorum frequentia celebrata, consignata demum literis, et numquam intermoriturae memoriae posteritatis commendata. Ad haec, divina prope videntur commentariola, quae pluribus circumferuntur voluminibus de templorum constructione, cultu, et nitore, sacrique penoris supellectile, de concinno ordine publicarum supplicationum, de Christiano lustro ab Ecclesiarum Rectoribus faciendo, de oblatorum, monialium, et clericorum regimine, ut missa faciam quae de litterarum studiis instituendis, et de Ecclesiae tabulario praeclare, et subtiliter praescripsit. Inter omnia tamen mihi lucent lucubrationes illae de sacro rite faciundo, de Sacramentis religiose ministrandis, et praesertim quae maximopere nititur inculcare iis, quibus est expiandarum animarum cura deman-

data. Quae omnia veteris Ecclesiae disciplinae effigiem, et Christianae philosophiae summam continere videntur, ut iure optimo omnia sacrorum scriptorum commentaria, quum ab heroicis saeculis discessimus, haec una mihi videantur Ecclesiae Mediolanensis acta et auctoritatis pondere, et utilitatis ubertate superare. Nec insuper omnia a Carolo suscepta itinera persequi volo, quum non semel totam peragraverit Insubriam, ut nulla ferme fuerit in sua Διοικησει civitas, nullum oppidum, non vicus, non angulus abditus, in quem non pervaserit, quem pastorali cura non perlustrarit. Profecto mirabantur, stupebantque omnes, qui illum videbant animo extuantem, et per Alpes vadentem sollicite vestigium facere, mox quadrupedis ritu, genibus, manibusque reptare, nunc ferreis uncis armare pedes, et manus, ut durata nix pedem recipiat, nunc enata virgulta prensare, ac tandem iugis aegerrime superatis, omnia loca percurrere, et coelestem doctrinam disseminare. Pectus sane invictum Alpibus, nec ullo umquam fractum labore! Nihil enim prorsus Sancti Pontificis poterat vincere constantiam, ne mors quidem, nam illi gloriosum erat vitam suam pro Dei gloria ponere. Quamobrem quaecumque illi intenderentur pericula, iactarentur minae, struerentur insidiae, expedirentur tela, imminerent mala, impavidus stabat. Atque neminem forte praeterfugit,

quod ille ut Ecclesia iura tueretur, aut homines a nefario pellicatu divelleret, ut omnia resecaret vitia, et corruptos mores emendaret, qui in Religiosorum etiam hominum familias irrepserant; nullas potentum inimicitias, non minas, non pericula, aut capitis dimicationes sibi declinandas esse umquam putavit. Sed quid dicam declinandas? Imo quas forti animo non subiit, quas ultro non appetiit, ut tandem a parricida immanissimo plumbea glande e ferreo tubo excussa appetitus dubio procul vitae cessisset, nisi ipsum Deus mirabiliter servasset incolumem. Quare mirifice congruit ei quod alicubi dixit Cyprianus: non animum martyrio, sed martyrium animo defuisse; imo nec istud quidem defuit, quamquam a morte vindicatus sit martyr, ut reliquo vitae cursu illius meritis accederet cumulus. Tanto perfunctus periculo, oportebat sane, ut in posterum paullo saltem esset in salutis suae custodia diligentior. Sed vitam eo magis profundere visus est, et quam summo omnium auctori non uno nomine referebat acceptam, illi ipsi, quantum in se fuit, libentissime litavit. Re quidem vera, grassabatur Mediolani pestilentia, longe lateque homines absumendo. Contactu, halituque morbi vulgabantur: et quum mortui aegros, aegri validos tabe, et pestifero odore corporum conficerent, fere Sacerdotes omnes, quos primo impetu pestis non atti-

git, mortis metus, quae ob omnium erat oculos, ac tanti mali fuga detraxit. Quare commotus Carolus, ac communi calamitati sibi omni ope subveniendum ratus, suum caput pro commissi gregis salute summa alacritate devovit. Nam inter quotidiana funera hac illac discurrere, et omnia caritatis officia obire non verebatur. Quin vitae plane securus nunc languentibus adsidere, et eorum peccata sacramentali poenitentia expiare, nunc illos coelestis panis alimento reficere, et mox quorum deplorata erat in terris salus, iis aeternae vitae spem facere, et simil ad supremam pugnam contra daemonum incursus sacro ceromate munire non intermittebat. Et tantum abest, ut inter saevientis pestilentiae strages, et inter tot abiecta cadavera, ac tabe consumpta, privatam perniciem perhorreret, ut potius haec illius fuerit summa votorum, tanta populi mala sua morte redimere. Nimirum ad probandam suam omni fide maiorem caritatem hoc unum restabat, ut vitam pro omnibus tandem abiiceret; quandoquidem quod daret amplius non habebat ille, cui nihil fere praeter seipsum incredibilis munificentia ac largitas fecerit reliquum. Optimum illi fuerat patrimonium avitum, amplissima sacerdotia ab avunculo concredita, sed eorum fructus omnes nonnisi in alendis pauperibus occupavit, mox etiam, et Vritano principatu inter alia divendito, illius pretium, quod quadra-

ginta aureorum mille erat, ne uno quidem sibi reservato obolo, una die in pauperes, suos amores ac delicias, erogavit. Sola supererat domestica supellex, et aedium suarum ornamenta. Sed quum illud, quod ipse deprecatus erat pestilentiae malum, annonae caritas exciperet, ac perfrigida tempestas, ut homines passim frigore, fameque confecti miserandum in modum expirarent, Carolus ea calamitate commotus, omnia signa, tabulasque pictas, abacos, stragula, et quidquid erat caelati argenti, vel deterioris conditionis vendi iussit, ut gregem pasceret fame prope enectum, quem ut quoque vestiret, domus denudavit parietes, et quod ultimum est, nec lectulum sibi dereliquit, unde in posterum solo, aut nuda tabula pro cubili utebatur, profecto dignissimus, qui ad quietem aureo gemmeoque lecto exciperetur. Magna quidem haec sunt, sed maiora supersunt, atque omnino mirabilia, quae si attingere vellem, immensum spatium adhuc remaneret percurrendum. Quam ob rem scribere supersedeo de egregia illius caritate, quae ita incensa ferebatur in Deum, ut ad homines derivaret, et ita in homines redundabat, ut in Deo semper fixa consisteret. Neque de illius comitate dicam, ita cum gravitate coniuncta, ut neque facilitas de auctoritate, neque severitas quidquam de suavitate detraheret. Praetereo quoque singularem illius abstinentiam, dum cibario pane,

lupinis, aut ad summum caricis, cum epularetur opipare, contentus erat. Quod ad eius familiam adtinet, profecto ut leviter dicam, seminarium fuit Episcoporum. Si de operibus publicis res est, certe templa ab illo privata impensa aut instaurata, aut ab imis excitata fundamentis, clericorum collegia, coenobia sanctimonialium, Parthenones, monachorum domicilia, Nosocomia, et publica pietatis monumenta, nemo fortasse credet quod unus fecerit Carolus. Postremo ubi ex Varallo monte, quo contemplandi studio secesserat, febri correptus Mediolanum se recepit, aspero tectus cilicio, et cinere conspersus, in vili stramine coepit ex morbo periculose decumbere, et cum illud advenisse tempus intelligeret, quo tempore animam Deo redderet, mortem, ut Paulus ait, in lucro ponens, hilari vultu Christi patientis effigies ad vivum expressas iussit circa lectum collocari, quas etiam atque etiam intuens, incredibili spiritus dulcedine ac suavitate perfundebatur; et quod caput est, nec circumstantium suspiria, et effusae lacrymae, nec ulla res umquam illius oculos a sui Sospitatoris spectaculo potuit avertere. Quare, intento in Iesu Cruci adfixi imaginem obtutu, animam veluti e corporis ergastulo fugientem Creatori suo commendans, terram caelo commutavit III. Nonas Novembres anno MDLXXXIV. Eo extincto, universae Ecclesiae veluti lampas extingui visa est.

Neapoli ad S. Euphemiam.

MARGARITA . LVPVLA
VIRGO . INTEGRA . PRVDENS . PIA
AETERNI . SPONSI . NATALEM
NVPTIALI . GAVDIO . CELEBRATVRA
FACE : ACCEPTA
AETERNITATIS . DOMVM
IPSO . NATALI . DIE . CHRISTI
EST . INTROGRESSA
AN . REP . SAL . MDCCCXI
AETATIS . SVAE . ANNOR . XL

Compsae in Palatio Archiepiscopali ad S. Andream.

AEDES . DILABENTIBVS . AQVIS

PAENE . QVASSATAS

MICH · ARCHANGELVS · LVPOLI

COMPSANORVM . ARCHIEPISCOPVS

FOSSA . SILICE . STRATA

RIVO . QVE . SVBTERRANEO

AD . VIAM . PVBLICAM . DEDVCTO

EX . INTEGRO . REPARAVIT

AN . SAL . MDCCCXX

In funere Pii VII. Pont. Max.
in Metropolitana Ecclesia Compsana.

I.

Supra Templi portam forinsecus.

PIVS · VII
PONTIFEX . MAXIMVS
VITAE . CVRSV . ABSOLVTO
AETERNAM . DOMVM
CONTENDIT
ADEITO . TEMPLVM
QVI . PERLEGIS
ET . AD . SACRA . PIACVLARIA
TVA . ADIVNGITO . VOTA

II.

Supra templi portam introrsum.

DVCITE . FVNVS
TAM . CARI . CAPITIS
VOS . PVDOR . IVSTITIA . CHARITAS
ET . CVI
PRO . RELIGIONE . DECERTANTI
PALMAS . DEDISTIS
DATE . NVNC . ROSAS . ET . FLORES

III.

In tumuli parte adversa.

MEMORIAE . AETERNAE
PII · PONTIFICIS · MAXIMI
QVI . ECCLESIAE . NAVIM
SAEVISSIMIS . FLVCTIBVS . AGITATAM
EA . DEXTERITATE . ET . ANIMI . ROBORE
GVBERNAVIT
VT . QVAE . AD . ECCLESIAE . PERNICIEM
PARATA . ACTA . QVE . ERANT
CATHOLICAE . RELIGIONIS . TRIVMPHO
FVERINT . FAMVLATA
VIXIT . ANNIS . LXXXI. D. VI
DECESSIT . XIII. K. SEPT. M. DCCC. XXIII

IV.

In parte aversa.

SALVE . PII . ANIMA . INNOCENS
AGE . SVPERIS . DE . SEDIBVS
REM . CHRISTIANAM . TVTARE
AETERNVMQVE . PASTOREM
SOLLICITA . PRECE . FATIGA
VT . ORBI
PONTIFICEM . DONET
SVMMO . DIGNVM . APOSTOLATV
ECCLESIAM . QVI . SOLETVR
TVI . ABITIONE . CONTVRBATAM

V.

Ad tumuli laevum latus.

FIDES . RELIGIO . PIETAS
QVAE
PIO . IN . VIVIS . ADSTITERE
NVNC . TVMVLO . EXCVBANT
HAVD . PASSAE . A . MORTVO . DIVELLI
QVOCVM . SINE . QVERELA
INDIVVLSAE . VIXERVNT

VI.

Ad dexterum tumuli latus.

HERBERTE · SANCTE
COMPSANORVM . GLORIA . PRAESVLVM
DA . MANVM . PIO . PONTIFICI
QVI . NATALI . TVO
LAETI . QVVM . TIBI . THVRA . DABAMVS
ACERBO . FVNERE . CONCIDIT
TV . LVCTVM . IN . GAVDIA . VORTAS

Finis.

In tumulo temporario FERDINANDI *I. Siciliar. Regis in Metropolitana Ecclesia Compsana xiv. kal. Febr.* MDCCCXXV.

I.

Supra Templi portam extrinsecus

FERDINANDO BORBONIO

FVNEBRIA SACRA

QVI QVI PROPERAS

REGIS VRGET PIETAS

PIA FVNDITO VERBA

III.

In adversa tumuli parte

ERGO NE PRO PALMIS

REGI FERDINANDO

HOS TANDEM HONORES

HAEC TRISTIA MVNERA

MISERI REPENDIMVS

LACRIMAS ET INFERIAS

EHEV MORTALIVM

INANIA VOTA

VIXIT ANN. LXXIII. M. XI. D. XXII

REGNAVIT ANNIS LXV

DECESSIT PR. NON. IAN. MDCCCXXV

II.

In aversa tumuli parte

REX REGVM

CVI

TERRENA SERVIVNT REGNA

DA EX MORTALI

IMMORTALE CONSCENDERE

REGNVM FERDINANDO

NOVO QVE FVLGERE DIADEMATE

ET SCEPTRO ET PVRPVRA

IV.

In tumuli latus dexterum

QVID LVGVBRI NENIA
ET LACRIMIS ET GEMITV
IN PACE DORMIENTEM
COMPSA REGEM INQVIETAS
NONNE TVIS COMMODIS EXCVBANTI
FRANCISCO
SCEPTRVM QVE GLADIVM QVE
IN RELIGIONIS ET IMPERII
TRADIDIT TVTAMEN
AGE AGE CAPE ANIMVM
CONTVRBATA SATIS

V.

Ad tumuli latus laevum

VALE AETERNVM

FERDINANDE REX

POPVLORVM AMOR

NVNC LVCTVS MOEROR

ET AERVMNA

In funere Ferdinandi I. Siciliarum Regis
in Cathedrali Ecclesia Potentina

I

Ad Templi Fores

FERDINANDO REGI

LVCANIA FVNESTATA

PARENTAT

ÇIVES ADVENAE CONVENAE

DE AETERNA REGIS QVIETE AGITVR

INGREDIMINOR

II

Ad Januam alteram

LVCANI

PRO PACE ET SECVRITATE

REGNO NEAPOLITANO

TERRA MARI QVE PARTA

PACEM ET QVIETEM

FERDINANDO

REGI PACIFERO

ADPOSCITE

III

Introrsus supra portam maiorem

PIO INVICTO REGI
FERDINANDO Ī BORBONIO
PATRI PATRIAE
FVNDATORI PACIS PERPETVAE
CAROLI III CATHOLICI REGIS F
PHILIPPI V̄ NEP
LVDOVICI DELPHINI PRONEP
LVDOVICI X̄ĪV̄ GALLIARVM REGIS ABNEP
QVOD LVCANIÆ PROVINCIAM
RATVS POPVLORVM INCOLVMITATEM
FELICITATEM QVE
SVPREMAM ESSE LEGEM
QVA ET REGES OBSTRINGVNTVR
CONSERVARIT IVVERIT ORNARIT
LVCANI
PRINCIPI INDVLGENTISSIMO
TERRIS COMMODATO NVNC EHEV ADEMPTO
SVPREMA OFFICIA
VOTIS ET LACRIMIS PERSOLVVNT
VIX. ANN. LXXIII M.XI D.XXII
DESIDERATVS PR. NON. IAN. MDCCCXXV.

IV

In tumuli fronte

NON ISTA QVAM INGRESSVS ES

TERRA EST OBLIVIONIS

FERDINANDE BORBONI

EIA AGE NVMINI SVMMO

FRANCISCVM REGEM

IN QVO

RERVM STAT SVMMA NOSTRARVM

COMMENDA

NAMQVE NOS TIBI CORDE SINCERO

TOT A DEO GAVDIA PRECAMVR

QVOT NOBIS LACRIMAS

MORIENS LIQVISTI

V

In agrum dextrorsum

I FERDINANDE REX

QVO TE NOSTRA VOCANT VOTA

I PETE CITO CAELVM

IBI LVX INHABITAT AETERNA

ANNE QVAE PRO PACE TVA

CHRISTO REDEMPTORI

FVNDIMVS

NON PERSENTISCIS VOTA

VI

In Agrum sinistrorsum

IN SVMMO RERVM FASTIGIO
AD VIRTVTEM ET RELIGIONEM
CVNCTA EXEGISSE
OPTIMO PRINCIPI
AD PERPETVAM TRANQVILLITATEM
ID SVPEREST TANTVM

VII

In reliquo Funeris adparatu

NON OMNIA RAPVIT MORS
BENEFACTA REGIS MANENT
ET VIVVS ADHVC
PER ORA POPVLI VOLITAT
QVOD
REGIAM MAGNITVDINEM
IN REGNI COMMODA
CONVERTERIT

VIII

NON TIMORE AC DVRITIA IMPERASSE
NEC IGNE FERRO VE SAEVISSE
SED CLEMENTIA ET MANSVETVDINE
POPVLORVM ANIMOS INGENIVM QVE
MODERASSE
FERDINANDI NOMEN
IMMORTALITATI COMMENDANT

IX

REGNVM

SAEVIS TEMPESTATIBVS

CONVVLSVM

PRAESENTIA SVA RESTITVIT

ET FAME BELLO VE

FACTIONIBVS QVE PROPVLSATIS

INTEGRVM SERVAVIT

X

PACTIS

CVM PONTIFICE MAXIMO

RITE CONVENTIS

RELIGIONI DECVS

SACERDOTIO DIGNITATEM

IMPERIO ROBVR

ADSERVIT

309

XI

LITTERAS
ACERBITATE TEMPORVM
PESSVMDATAS
ACADEMIIS BIBLIOTHECA MVSEO
BONIS QVE ARTIBVS
IN VNVM COACTIS DOMICILIVM
ET LITTERATIS INSTITVTIONIBVS
AMPLIFICATIS
IN PRISTINVM NITOREM VINDICAVIT

XII

REGNI PROVINCIAS
EXOLETAS AC PROPE NEGLECTAS
NOVIS AVCTIS DISCIPLINIS
PVBLICIS OPERIBVS EXCITATIS
VIIS QVE
AD COMMERCIA FREQVENTANDA
VNDIQVE COMMVNITIS
SVA MVNIFICENTIA NOBILITAVIT

In translatione Cinerum Bartholomaei de Caesare Episc. Potentini ab Ecclesia Retinensi in Cathedralem Ecclesiam Potentinam.

Ad fores Basilicae Cathedralis.

I

BARTHOLOMAEI · DE · CAESARE

MODO . OSSA

AVSPICATO

IN . SVAM . TRANSVECTA . SVNT . SEDEM

CANONICI . CATHEDRALIS . ECCLESIAE

PONTIFICI DESIDERATISSIMO

CVM . LVCTV . ET . LACRYMIS

PARENTANT

 Supra portam intrinsecus

II

MEMORIAE . SEMPITERNAE
BARTHOLOMAEI · DE · CAESARE
POTENTINORVM . PONTIFICIS
OPTIMI . MERENTISSIMI
QVI . VERBO . ET . EXEMPLO
FORMA . GREGIS . AD . OMNIA . FACTVS
PRISCA . ECCLESIAE . TEMPORA
FIDE . PIETATE . DOCTRINA
ET . MORIBVS . SVAVISSIMIS
INSTAVRAVIT
CANONICI . CATHEDRALIS . ECCLESIAE
SECVBARE . PROCVL . PATREM . NON . PASSI
CVIVS . NEC . EXTREMVM
QVIVERVNT . EXCIPERE . SPIRITVM
HVC . RITE . OSSIBVS
INTER . OMNIVM . ORDINVM . GEMITVS
TRANSLATIS
AETERNVM . MOERORIS . MON . POSVERVNT
SEDIT . ANNIS . XIV . MENS . III . DIEB . IIII
VIXIT . AN . LXVII . M . VI . D . VIII
DECESSIT. RETINAE . PR . KAL . OCTOBR.AN.MDCCXIX
EXVVIAE . QVINCTO . POST . ANNO
POTENTIAM . DELATAE

Sub imagine.

III

PAX . VOBIS

VIXI . DEO . QVAMDIV . VIXI

VIXI . ET . VOBIS . PAVXILLVLVM

AETERNVM . AT . NVNC . VIVENS . DEO

PERPETVO . VOBIS . ADERO . SPIRITV

SATAGITE . KARISSVMI

DEVM . TIMETE

IV.

IN . AETERNITATE . TEMPORVM

VIVAX . APVD . NOS

TVI . SEMPER . MEMORIA . MANEBIT

BARTHOLOMAEE PARENS

MORTALIBVS . AT . EMERSVS . AERVMNIS

MODO . QVVM . IMMORTALEM

EXIGIS . SINE . SOLLICITVDINE . VITAM

PVRVM . QVE . LVMEN . IN . PVRO . LVMINE . VIDES

AGE . DE . SANCTA BEATITATIS . SEDE

ECCLESIAM . TVTARE . QVAM . LIQVISTI

REBVS . QVE . NOSTRIS

EXCVBA . FORTIVS

V

OSSA . PATRIS

QVIESCITE . IAM

IN . MEDIO . NOSTRI

SOLAMEN . NOSTRVM

AT . TV . FELIX . TERRA

QVOD . FAVSTVM . SIT . NOBIS

TENE . DECVS . NOSTRVM

TENE . DEPOSITVM

KARI . PATRIS . OSSA

VI

PARENTIS . OPTVMI
FVNVS . CONDECORANT
EGENI . VIDVAE . NVDI
MALORVM . EXTREMVM
PLORANTES
EVM . SIBI . PRAEREPTVM
CVIVS . CARITATE
MALA . ADSVEVERANT
TOLERARE